CALLIMACHEA.

Nuper mihi in amoeno maris litore ferianti gratissimum Meinekii munus allatum est, fasciculus librorum, ἀκρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης, ut utar Callimachi verbis feliciter ab ipso Meinekio emendatis. Nam si in quo alio, in Meinekio inest illa acris neque umquam interrupta industria, quam neque senectus neque valetudo frangere aut minuere valuerunt. Animus inquies pascitur opere et nil actum reputat dum quid supersit agendum. Totus eram in Xenophonte, cuius Hellenica quam poteram diligentissime constituebam. Relaxandi animi causa novos ingenii Meinekiani fructus delibare coepi. Inerat Hymnorum et Epigrammatum Callimachi nova editio huius aetatis luce digna. Meinekius veteres amores suos, poëtas Alexandrinos, numquam neglexit, sed eosdem nunc quoque exacta aetate summa ope ingenii et diffusae eruditionis praesidio ornavit et expolivit, quos singulari cura et studio amplexus olim fuerat. Itaque Callimachi Hymnos et Epigrammata legi in summo otio atque relegi. Eadem cura Meinekii annotationes et *Diatriben de Callimachi locis controversis* iterum iterumque legi. Multa vidi praeclara, multa acute et ingeniose reperta, complura certa et manifesta, quae in magna simplicitate omnes veritatis numeros explerent, quo genere nihil est praestantius, nihil ingenio alendo et confirmando salubrius. Taedium et nauseam pariunt incertae correctiunculae cito natae, citius etiam contemtu emortuae, quae, nisi caveris, μισολογίαν quamdam afferunt bonis studiis exitiosam. Nihil est facilius quam vulgatam librorum scripturam iure an iniuria de mendo suspectam centum modis tentare, sed nisi tu verum repereris fatigabis animum et enecabis aut nil nisi hoc efficies ut statim meliora quaerant alii. Dixerat Callimachus Hymn. in Dianam vs. 66:

ἀλλ' ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι.

id est, si quis de celso affectatae epicae dictionis curru descendere velit et ἀνθρωπίνως διαλέγεσθαι, nihil aliud quam, ἀλλ' ὅτε κόρη τις ἀπειθοίη τῇ μητρί, *si qua puella matri suae non satis sit dicto audiens:* sed ἀπειθέα τεύχειν doctis hominibus, qui eam locutionem ex communi loquendi usu spectabant, suspicionem movet, itaque alius aliud supponit, ἀπεχθέα, ἐπαχθέα, ἀπηνέα, ἀπήθεα, ἀεικέα, quae omnes sunt nullius pretii hariolationes. Habeat Callimachus suum servetque secum ἀπειθέα μητέρι τεύχοι, quod neque eleganter, neque perite novatum est, sed tamen ab ipso Callimacho profectum. Oppone mihi istis infelicibus suspiciunculis manifestam Meinekii emendationem in loco Dionysii Halic. *Ant. Rom.* I. 88. et senties quid distent aera lupinis. Editur: ὄρνιθας μὲν πρῶτον ἀετοὺς λαμβάνει, ubi Meinekius in AЄTOYC latens AICIOYC reperit, quam certam correctionem faciam etiam certiorem admonens in Codd. αἰετούς scribi solere, ut nihil propemodum intersit inter AIЄTOYC et AICIOYC, et ne Carneades quidem dubitare possit quin verum sit, quod Meinekius repererit ὄρνιθας μὲν πρῶτον αἰσίους λαμβάνει. Complures huiusmodi veterum mendorum evidentes correctiones nova Callimachi editio exhibet, quo aequiore animo feras, sicubi aut infelices quaedam coniecturae et παρακεκινδυνευμένα nonnulla et ἀποτετευγμένα leguntur. Sed priusquam de his dicere incipiam necesse mihi esse intelligo de alia re dicere, ex qua iudicium de singulis Alexandrini poëtae locis magnam partem pendere arbitror. Invitus quodammodo ad hunc locum accedo, namque et cum aliis et imprimis cum ipso Meinekio de ea re, sat scio, bellum mihi gerendum est ἄσπονδον καὶ ἀκήρυκτον, quod tamen (hoc quoque sat scio) sine ulla ira aut cupiditate a me suscipitur et geretur. Magna me spes tenet fore ut haec inter nos dissensio venerabili seni non sit ingrata aut iniucunda. Idem ambo quaerimus ut quod verum sit appareat et vincat. Si mihi contigisset ut Meinekium praesens praesentem observare et colere potuissem, vix dubito quin me litterarum et veritatis amore ardentem benevolentia et caritate amplexurus fuisset et lenissimo animo laturus si quando a se dissentirem. Idem etiamnunc fieri poterit ubi perspexerit me non obtrectandi causa sed ex animi

mei sententia ea improbare et reiicere quae ipse probare et defendere soleat. Meinekius poëtas Alexandrinos amat et admiratur, ego eosdem fastidio et contemno. Quos Meinekius diligit, hi mihi nauseam pariunt. Ex quo primum aliquid in Graecis litteris videre et intelligere coepi, semper ego istos grammaticos dicam an poëtas respui, neque id umquam dissimulavi, sed ubi res ferebat palam feci et cur ita sentirem demonstravi. Neque tamen propterea istos, certe istorum principes, legere supersedi, sed τὸν βίον τῆς Ἑλλάδος ex omnium temporum monumentis litterariis sedulo colligens quoties ad ea tempora devenio quum Graecia libertate indigna una cum libertate amisit omnia et sine virtute, sine gloria, languere, ineptire ac delirare coepit, non minore labore et cura poëtas Alexandrinos quam illos veteres et δαιμονίους scriptores, versare soleo et sic semper istos et magis contemno et cur contemnendi sint sentio. Callimachus (de quo solo nunc paucis agam) est mihi homo puerilis et ineptus, qui in aulicae adulationis foetore animi sanitatem et φρόνημα omne amisit. Idem quum immensum librorum omne genus numerum devorasset et sic diffusam rerum diversissimarum notitiam collegisset, non satis habuit variam hanc et multiplicem eruditionem apte digerere et explicare, sed ex hac farragine poëtarum et scriptorum omnium aetatum ac locorum contexuit sibi linguam quamdam artificialem, qua carmina pangeret et ipse, eo potissimum consilio ut eas dicendi copias undique collectas suisque ipsius inventis auctas veluti stragulam vestem acu pictam et coloribus omnibus variegatam Regis et aulicorum et eruditorum oculis explicaret ostentaretque. Quoties ego ista contemplor dubito utrum mihi argumentum carminis an lingua absurdior ineptiorque videatur. In argumento desidero naturae veritatem: eandem in verbis et oratione desidero. Quae Callimachus versibus describit ea numquam quisquam aut experiendo vidit aut animo sensit. Verba sunt quae aures titillant sed ad animum non perveniunt. Numerosa sunt, auditum mulcent, sed nihil ex his descendit in pectus. Νευρόσπαστα sunt quae pueros oblectant vana mirantes. Nihil his simile vita habet: itaque nihil horum viro placere potest. Satis erit ex Hymnis Callimacheis vel unum inspicere *in Dianam*. Diana tenera puellula

insidet patris genibus et munera quaedam eblanditur. Tam parvula est adhuc ut diu frustra patris barbam apprehendere conetur.

γενειάδος ἤθελε πατρὸς
ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας.

Quid putes puellulam blande a patre efflagitare? Numquam reperies nisi a Callimacho audieris. Audi modo:

δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν.

non putasses puellulam id aetatis talia cogitare. Petit sibi deinde *omnia* montium iuga, sed *unam* tantum urbem, *namque raro fiet*, inquit, *ut Diana de montibus descendat in urbem.*

δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα· πόλιν δέ μοι ἥντινα νεῖμον
ἥντινα λῇς. σπαρνὸν γὰρ ὅτ' Ἄρτεμις ἄςυ κάτεισιν.

ubi sententia postulat πόλιν δὲ μίαν τινὰ νεῖμον ἥντινα λῇς, quemadmodum ei Iupiter respondet vs. 33:

τρὶς δέκα τοι πτολίεθρα καὶ οὐχ ἕνα πύργον ὀπάσσω,

id est καὶ οὐ μίαν πόλιν δώσω, ut petiisti. Raro se venturam in urbes hominum puella narrat

μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον, ᾗσί με μοῖραι
γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν.

quasi vero ea res raro incideret. Vitiosum est γεινομένην: scribendum est γιγνομένην, sed quia ΓЄΙΝΟΜΑΙ pro γίνομαι, idque pro γίγνομαι in Codd. vetustis exarari erat solitum, vitium inolevit. Diana quamquam sibi hoc officium *sortito obtigisse* commemorat (ἐπεκλήρωσαν), tamen simul causam refert cur id sibi potissimum sit mandatum: nempe:

ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα
μήτηρ ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων.

de facili Latonae partu alia omnia ab aliis audire solemus, sed Callimacho credimus locupletes testes fuisse, quibus securi fidem habeamus: affirmat enim ipse se *nil sine teste cantare* (ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω), quod testimonium quoniam Meinekio satisfecit (pag. 150), nolim esse morosior. Itaque Diana parturientes adiuvat quia se mater sine dolore enixa est, φίλων ἀπεθήκατο γυίων, quod dictum in tam tenera puellula mirari possis, nisi malis honeste casteque enunciatum esse statuere et reprehendere viros doctos, qui credant γυῖα *uterum* signi-

ficare. Sed dixerit aliquis inique poëtam carpi: aliam enim apud homines esse, aliam apud deos rerum rationem et puerorum ingenia: deorum prolem aliquanto esse praecociorem. Credo; et imprimis in Diana credo, quam pater impense admiratur nec se continet quin dicat:

ὅτε μοι τοιαῦτα θέαιναι
τίκτοιεν, τυτθόν κεν ἐγὼ ζηλήμονος Ἥρης
χωομένης ἀλέγοιμι.

apparet ex his Iovem magis fuisse φιλόπαιδα quam φιλογύναικα, itaque optimo maximo deorum iniuriam fieri suspicor eumque immerito male audire. Sed ne omnia apud Deos ampliora et augustiora esse putem quam apud Ptolemaeos, ipse Callimachus efficit ubi de Diana refert, quae a venatione redux excipitur a Diis immortalibus. Ubi in conspectum venit stant duo Dii ante fores. Mercurius arcum et pharetram accipit, Apollo praedam. Sic quidem olim fieri solebat, donec Hercules receptus est inter Divos. Ubi primum induit deum, stare solet ante fores exspectans ecquid praedae venatrix attulerit.

ἕστηκε πρὸ πυλέων ποτιδέγμενος εἴ τι φέρουσα
νεῖαι πῖον ἔδεσμα.

Comem et benignum Deum dicas esse, qui ita faciat. Falleris: non est Hercules comis, sed helluo, quem venter stimulat et spes epularum. Namque quamquam in Oeta monte humanam naturam omnem exuit, tamen voracitatem non exuit. Est idem helluo, qui olim fuit. Vix credis: inducere in animum non potes tam foedum vitium cadere in divinitatem. λαβὲ τὸ βιβλίον. audi ipsum Callimachum:

οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίῃ περ ἐπ' ὀφρύϊ γυῖα θεωθεὶς
παύσατ' ἀδηφαγίης. ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη,
τῇ ποτ' ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι.

perspicue hercle dixit poëta: οὐ γὰρ παύσατ' ἀδηφαγίης, neque evitavit vocabulum a maiestate deorum alienius ἀδηφαγίη, sed rem suo nomine appellavit. Eiusdemmodi est νηδὺς ἐκείνη. Sic res ambigua esse non poterat. Ergo Herculem gula impellebat, ut Dianam opperiretur, et speculabatur ecquid opimae praedae venatrix attulisset, quasi Deorum epulae gulam improbam quotidie non satis explerent. Lactus e Dianae curru

ingentem taurum protrahit aut aprum, et *astuto sermone admonet* Deam ut lepusculos ferasque minores omittat sed apros taurosque iaculis configat et sic mortalium ineat gratiam. *κερδαλέῳ μύθῳ* Artemin admonebat, nam non mortalium arva curabat, ut videri volebat, sed ut sibi opiparae epulae suppeterent. Rident helluonem Dii omnes et ipsa socrus ante omnes:

θεοὶ δ' ἐπὶ πάντες ἐκείνῳ
ἄλληκτον γελόωσι, μάλιϛα δὲ πενθερὴ αὐτή.

Facile credimus, nam admodum ridicula res est, et ridemus praeterea ipsum poëtam qui talia in serio carmine finxerit. Quam multa eiusdem generis scurrilia et propter id ipsum absurda Hymni Callimachei continent! Addam unum ex Hymno *in Cererem.* Erysichthon numen Cereris laeserat. Ceres sic impium ulciscitur, ut eum fames inexplebilis excruciet. Vescebatur semper, sed

ὅσσα πάσαιτο τόσων ἔχεν ἵμερος αὖτις.

Si poëta fuisset Callimachus, habuisset in quo exseruisset ingenium. Nunc puerilia quaedam comminiscitur, in quibus difficile est risum tenere. Plurimos versus perdidit enarrans quam sedulo mater caverit ne quam filius invitationem ad coenam acciperet. Nempe sciebat futurum ut omnia solus deglutiret, quamobrem mentiri quodlibet maluit et exclamat poëta:

δειλαία Φιλότεκνε, τί οὐκ ἐψεύσαο, μᾶτερ;

Itaque nemo vicinorum Erysichthonis calamitatem animadvertit, quamquam ei in aedibus

εἴκατι δαῖτα πένοντο, δυώδεκα δ' οἶνον ἄφυσσον.

Ne autem mirum cui accidat siti non minus Erysichthonem quam fame excruciari, poëta diligens admonet *si quis Cererem laeserit eum eadem opera laesisse Bacchum:*

καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος.
τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει.

quorum versuum male alterutrum Critici Callimacho eripere voluerunt, qui est „*in summa brevitate loquacissimus*," quae non mea verba sunt Callimachum contemnentis, sed Callimachi admiratoris Meinekii pag. 256. Exhauriebat igitur omnia Erysichthonis immanis ingluvies: namque

ἤσθιε μυρία πάντα· κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστήρ
αἰὲν μᾶλλον ἔδοντι.

crescebat indulgens sibi dira fames et corpus ita contabescebat ut in montibus nix, ut in sole cera, sed nondum id Callimacho satis est, quamobrem addidit:

καὶ τούτων ἔτι μᾶλλον ἐτάκετο.

itaque mox, quod nemo mirabitur,

δειλαίῳ ῥινός τε καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν.

nam sic cum Valckenaerio ῥινός τε legendum pro ἶνές τε.

Flebat misera mater, flebant sorores, nutrix, ancillae: pater canos sibi vellit et cum patre Neptuno expostulat et tandem ita dicit:

ἢ οἱ ἀπόστασον χαλεπὰν νόσον, ἠέ νιν αὐτὸς
βόσκε λαβών· ἁμαὶ γὰρ ἀπειρήκαντι τράπεζαι.

quae verba irati patris perspicua magis sunt quam exquisita. Homo ex infima plebecula non aliter dixisset quam sic ἢ αὐτὸς βόσκε λαβών. Neque hercle iniuria pater queritur. Nulli rei gurges pepercerat: *devoraverat mulos*, ingratum, credo, cibum, *bovem Vestae saginatam*, *equum in ludis victorem*, *bellatorem quoque equum devoraverat:* nondum est satis Erysichthoni dicam an Callimacho; his omnibus cumulum addidit; quem putas? numquam reperies, nisi a poëta audiveris. *Felem*, inquam, *domesticam felem* per improbas fauces demisit:

καὶ τὰν αἴλουρον.

quibus verbis vide quam suaviter poëta addiderit:

τὰν ἔτρεμε θηρία μικκά.

eleganter, ut nihil supra: et quam lepide mures, festivas bestiolas, appellavit θηρία μικκά. Recte imperfectum ἔτρεμε posuit, namque haec olim fuere: actum est de misera. Rapuit dira fames

καὶ τὰν αἴλουρον, τὰν ἔτρεμε θηρία μικκά.

Paene hanc cernimus oculis, tam graphice eam optimus poëta depinxit, ut fere carere possimus scholiastae animadversione, qui ad αἴλουρον annotavit: τὸν ἰδίως λεγόμενον κάττον. Iam vero qui talia non puerilia et sordida et abiecta et ab Hymni gravitate et maiestate aliena esse existimat, utatur suo iudicio et fruatur quod amet. Mihi quidem ista omnia vehementer sordent et absurda esse videntur. Adiiciam locum ubi Ptole-

maei laudes celebrat Hymn. *in Iovem* 85. Iovem dicit *Regibus opes attribuere omnibus, sed non omnibus aeque magnas.*

πᾶσι μὲν, οὐ μάλα δ' ἶσον· ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι
ἡμετέρῳ μεδέοντι· περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν.
ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ·
ἑσπέριος τὰ μέγιςα, τὰ μείονα δ' εὖτε νοήσῃ.
οἳ δὲ τὰ μὲν πλειῶνι τὰ δ' οὐχ ἑνί, τῶν δ' ἀπὸ πάμπαν
αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν.

Videamus primum quid dicat poëta, deinde quale sit quod dixerit. *Non omnibus regibus opes esse perinde magnas,* inquit, *colligere ex nostro Rege licet.* Ptolemaeum enim regum omnium opibus pollere plurimum contendit his verbis: περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν. Miratur Meinekius dictionis insolentiam ut fere vitium subesse credat. Respondeo "*Alexandrinos poëtas — saepe ea ausos esse quae quo pacto excusari possint prorsus non intelligatur.*" οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, sed ipsius Meinekii p. 284. Quid autem non est apud Callimachum insolens? Quale est quod praecedit vs. 80:

τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν.

quis umquam huiusmodi quid legit vel audivit? Significat, iudice Meinekio, *illis* decrevisti *tuam sortem,* idque est *Reges tui in terris vicarios esse voluisti.* Fieri potest, sed κρίνεσθαι ita dici posse neque sciebam antea neque nunc satis intelligo. Sequitur ἐπόψιος pro ἐφορῶν, et δίκῃσιν λαὸν ὑπὸ σκολιῇς ἰθύνειν, cui opponitur ἔμπαλιν (id est δικαίως) ἰθύνειν, et ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, aliaque non minus insolentia et inaudita, unde multo labore aliquid exsculpas quod ad rem praesentem accommodari quodammodo possit. Sic igitur εὐρὺ βέβηκεν Meinekio dictum esse videtur pro *longe alios praetergressus est,* cui non assentior. Εὐρὺ βέβηκεν proprie de eo dicitur, qui *cruribus est late divaricatis,* ut Colossus Rhodiorum, et Cleon Aristophaneus, qui habebat

τὸ σκέλος
τὸ μὲν ἐν Πύλῳ, τὸ δ' ἕτερον ἐν τἠκκλησίᾳ.

De Ptolemaeo dictum nihil aliud quam *late patens imperium Aegypti* denotare potest. Alii *longas regibus esse manus* dixerunt, Callimachus suo Regi *crura longa* tribuit, quibus vastam ditionem quaquaversus patentem (περιπρό) occupat et veluti

ἀμφιβέβηκεν. Itaque *opes* non gazam regiam, non thesauros, non divitias denotant, sed potentiam imperiumque. Ptolemaeum caeteris Regibus non *locupletiorem* esse dicit, sed *potentiorem*. Tollitur sic difficultas, in quam se irretivit Meinekius, qui quum verba ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ κτέ. de *prudentia* regis et *auctoritate* accepisset et in superioribus *fortunas regias* praedicari putaret, incongrua haec esse ratus unum et alterum versum intercidisse opinatus est. Callimachus hoc dicit: *Ptolemaeus tam potens est, ut si quid animo conceperit* (quantumvis magnum et arduum) *id statim eodem die perficere valeat.* Caeteri reges per totum annum moliuntur aut per plures annos (τὰ μὲν πλειῶνι, τὰ δ' οὐχ ἑνί): sunt etiam qui quod agere instituerint peragere omnino nequeant, quorumque irriti cadant impetus (τῶν δ' ἀπὸ πάμπαν αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν). Ptolemaeus contra ἑσπέριος τελέει τά κεν ἦρι νοήσῃ. quod quam ambigue dictum esset ut non tantum de *summa perficiendi celeritate*, sed etiam de *inerti cunctatione* accipi posset, poëta quum aut ipse sensisset aut aliorum derisione animadvertisset, fatuum hunc versum inseruit:

ἑσπέριος τὰ μέγιστα, τὰ μείονα δ' εὖτε νοήσῃ.

qui si cui non frigidus admodum et insulsus videtur, nil causae dico cur ei non Callimachus poëtarum summus et θειότατος omnium esse existimetur.

Aestimetur igitur Callimachi ingenium ex illis Ptolemaei laudibus. Non erat arduum de illo Ptolemaeo multa et praeclara dicere. Quid ille? omissis veris laudibus nonnulla pueriliter exaggerat quae cum rerum natura et veritate pugnant, in iisque tam fatue loquitur ut non admirationem magni Regis excitet sed risum moveat. Talem poëtam si cui admirari placet non equidem invideo, miror magis [1]).

---

[1]) Animi causa subiiciam iudicium, quod de iisdem illis versibus Anna Fabri tulit in Praefatione: „*Callimachus ubique mihi divino numine afflari semper visus est, sed tum maxime quum in laudes Ptolemaei Philadelphi delabitur; id enim tanta arte perficit, ut quivis, qui vel minimum in hisce sapiat, liquido deieret Deum, non hominem, loqui.*" Describit deinde illos versus et addit: „*Nonne, Lector, laudes alias fere omnes ad istas dices sordescere?*" Nempe is est, Anna iudice, Callimachus „*quo in Graecis litteris nil elegantius, nil tersius, nil politius umquam fuit.*" Festivissima Anna haec puellari animo iudicioque aestimavit ad

Caeteri qui talia non mirantur suo arbitratu ex reliquis Callimachi carminibus similia multa colligent quamobrem Cyrenensem poëtam contemnant rideantque.

Sed missis his, de quibus unusquisque suo arbitratu iudicare poterit, venio ad alterum Callimachi crimen, in quo ampliandi locus aut necessitas nulla erit, sed causa diligenter cognita aut absolvendus erit reus aut parum cavisse videri et teneri re manifesta pronuntiandum. Linguam dico et orationem artificialem, qua usus est: in qua re vehementer et ab aliis et a Meinekio dissentio qui ea omnia miratur, probat, excusat, quae mihi stulta stolidaque videntur et taedium pariunt et nauseam movent. Me iudice Callimachus ex varia et diffusa poëtarum et scriptorum veterum omne genus lectione conflavit sibi et contaminavit dicendi quoddam genus, in quo diversissima omnia ridiculum in modum permiscentur in unum. Indigesta farrago est vocabulorum et dictionum undique corrasa. Quae olim aetate ac locis secreta et disiuncta fuerunt, apud illum omnia ridicule in unam colluviem coalescunt. Videtur esse Ὁμηρικός, sed antiquae linguae Epicae neque exactam accuratamque notitiam sibi collegit et (quod multo peius est) inepte ei affundit Attica nonnulla et Dorica et Aeolica, praeterea novitia quaedam ex aequalium suorum συνηθείᾳ, quae quam belle cum vetusto sermone Homerico quadrent facile est ad intelligendum. Ante omnia venatur *abstrusa* et *recondita* et vix eruditissimo cuique nota. Multa γράμματα (ut ipsius verbis utar) εἵλισσεν ἀπόκρυφα, unde verba intermortua et sepulta et (ut lepidissime dixit in simili re Augustus) *verborum obsoletorum foetores* eruebat. Intexebat haec tamquam gemmulas orationi Homericae et omnibus notae, sed, quia erat aliquanto doctior quam acutior, et multa legere quam diligenter et cum cura malebat, saepe

---

eum modum, quo de sua in Callimachum opera iudicavit ibidem: »*Nil est in Callimacho difficile, ab aliis, ut mos est, praetermissum, quod satis, ut mihi videor, non explanaverim; nil ab Interpretibus, vel Scholiaste peccatum, ut humanum est, quod non ego vel restituerim, vel monuerim.*" Quod magis etiam miraberis »*quum rescieris vix tres menses huic operi insumtos esse.*" His ego nihil addo praeter Catulli versiculum:

O rem ridiculam, Cato, et iocosam!

etiam in Homerici sermonis usu impingebat, et in vocabulorum formis multa peccans et in compositione et in significandi potestate, modo linguae Epicae certam rationem et usum non assecutus, modo analogiam quandam fallacem et ancipitem temere secutus, ut intelligentibus nunc fastidium pariat nunc risum. Est enim novator audax et temerarius non minus in fingendis iis quae nemo umquam dixerat, quam in detorquendo in alia omnia sensu eorum quibus aut veteres aut aequales constanter alio modo utebantur. Quibus omnibus admiscuit ex aequalium vitiosa et sordida oratione quidquid collubuit. Cuiusmodi lingua ex hisce omnibus conflata sit saepius obiter ostendi, et sic aliorum dissensiones movi, qui mihi nihil aut propemodum nihil horum concederent. Potest haec controversia componi. Collectis in unum et ordine dispositis argumentis indiciisque, quibus haec mea veluti accusatio nititur, qui in hac causa sedebunt Graecitatis peritissimi iudices ferant sententias. Cum Meinekio potissimum mihi res est, qui auctoritate caeteros omnes facile superat et Callimachi causam adversus me promtissimo animo recepit. Audiamus quae dicat: „*Callimachus ut in historiis fabulisque tractandis nihil se pro arbitrio finxisse ipse testatur, ita etiam in dictione perpauca videtur novasse, sed si quid* recto et communi usui repugnans *reperitur, eorum pleraque non dubitandum est quin vetustiores poëtas vel dialectos abstrusas aliusve causas nobis ignotas secutus usurpaverit* (pag. 150 sq.). Diserta et perspicua haec Meinekii sententia est meaeque plane contraria. Si quid mihi Callimachus impegisse videtur, Meinekius reperit aliquem colorem, ut nihil erratum esse aut excusabilem errorem esse probet. Saepe Callimachum vexavit veterum Grammaticorum censura [1]): saepe eum olim eruditi Graecitatis

---

[1]) Est operae pretium videre quam confidenter eruditi magistri Callimachum erroris arguere et damnare soleant, utpote quem constet saepe sic errare. Ammonius de D. V. p. 27. *κακῶς οὖν Καλλίμαχός φησιν·*

αὖθι (pro *αὖθις*) *τόδ' ἐκδύοιμι.*

et pag. 106. *ἥμαρτεν οὖν ὁ Καλλίμαχος εἰπών·*

εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα.

et pag. 136. *ἁμαρτάνει οὖν ὁ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ κατὰ δύο τρόπους λέγων·*

magistri erroris convicerunt: diversa confudisse arguitur, improprie aut negligenter locutus esse, certas dicendi leges violasse: nihil horum Meinekio verum esse videtur. Confudit Callimachus festinanter *ἁρματροχία* et *ἁματροχία*. Insurgit in eum gravis accusator Porphyrius, cuius haec verba sunt: *οὐ δεῖ δυσχεραίνειν εἰ τῶν νῦν παιδευτῶν* (*παιδευόντων* Bentleius probante Meinekio, sed tu lege *εὐπαιδεύτων*) *τοὺς πολλοὺς λανθάνει τινὰ τῶν Ὁμηρικῶν ὅπου καὶ τὸν δοκοῦντα εἶναι ἀκριβέστατον καὶ πολυμαθέστατον Καλλίμαχον ἔλαθεν ἡ διαφορὰ τῆς ἁρματροχιᾶς ἣν ἔχει πρὸς τὴν χωρὶς τοῦ ρ λεγομένην ἁματροχιάν.* Dixeris Callimachum manifestum teneri, sed respondet Meinekius: „*Callimachum Graeco sermoni plurimum studii impendisse quaevis pagina docet; quo minus credibile est latuisse eum discrimen, quod ne imperitissimos quidem fugere potuit.*" Itaque Porphyrius fallitur, non Callimachus. Qui fieri potest? dices. Facillime, modo Meinekio credas „*fuisse cascum substantivum ἅμα idem quod ἅρμα significans et cum ἅμα adverbio et verbo ἁμᾶν cognatum, quod proprie est* aptare — *atque ut ἅρμα ab ἄρειν* arctare *descendit et ἀπήνη ab ἅπειν* apere, aptare, *ita ἅμα referendum est ad ἁμᾶν.*" O praeclarum Etymologicae artis aut facultatis praesidium nec umquam satis praedicandum!

οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν ἢ πάντ' εἰδέναι,

nihil etiam est facilius, si modo illud admirabile sciendi adminiculum non dico addiscere velis (nihil enim est opus discere), sed audacter ad omnia quaevis adhibere. Nihil est tam abstrusum aut reconditum quod non etymologiae ope pateat omnibus. Addam ex Meinekio aliud pag. 250: „*quid aliud Ἴναχος significare dicemus quam ἔνυδρος ab ἰν praepositionis forma aeolica et substantivo obsoleto ἄχα,* aqua, *quod superest cum in Graecis nominibus Ἀχελῷος, Ἀχέρων et, ut neptunistis placet, in Ἀχιλλεύς, tum in Gothico* ahva *et Germanico* ach *in nomine* Bacharach *multisque aliis oppidorum ad amnem sitorum nominibus.*"

τοὔνεκεν αἰγαῖος ἔσχεν.

ubi emendandum est *Αἰγέος ἔσκεν*, „intellexit Hecale eum *esse Aegei filium*," id est Theseum.

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.

Memini me videre in Italia doctum hominem, qui tanto studio incubuerat in linguas (ut ipse appellabat) *antediluvianas*, ut caeteras omnes praeter vernaculam penitus ignoraret. Mihi quidem ἅμα et ἄπειν et ἄχα aliquanto vetustiora quam diluvium Noachicum esse videntur, et (ut libere dicam quod sentiam) mallem Meinekius ista omnia reliquisset iis, qui Graece nesciunt et verae doctrinae inopiam sic non illepide et tegunt et sarciunt. Larvae sunt ἄμα, ἄχα sim., umbrae sine corpore, doctorum hominum ἰνδάλματα, quae numquam cum veris vocabulis componi debent: namque eiusdem stultitiae est ac si quis τὰ σώματα τοῖς ἀσωμάτοις vellet miscere. Suaviter et caute eruditi homines ista veris vocabulis *cognata* esse dictitant, ut ἄμα a Meinekio *cognatum* esse narratur adverbio ἅμα et verbo ἀμᾶν *colligere* et *colligare.* Credebam ἀμᾶν esse *falce demetere*: sed nunc demum intelligo eodem redire *segetem falce demetere* et *colligere* et *colligare stipulas.* Suspicor etiam Latinum *amare* cum ἄμα *cognatum esse:* causa, ut opinor, in aprico est, nam amor *colligat*, si quid aliud, et certe non minus quam ἰσότης, ἣ φίλους ἀεὶ φίλοις συνδεῖ, secundum Euripidem. Magnam habeo gratiam erudito viro Italico, qui me hanc artem sine ullo labore docuit et multorum verborum vim absconditam mihi sic aperuit. Quaesivit ex me aliquando unde *asinum* dictum esse putarem. Perinde sciebam atque olim quid ἄμα, quid ἄχα denotarent. Quaesivit deinde an Graecum ἀσύνετος nossem. Hoc vero probe noveram. Tum ille subridens: „unum atque idem est, o bone, inquit. *Asinetos*, *asineos*, *asinos*." Ex his atque talibus equidem etymologicam facultatem τῶν οὐκ ὄντων εὑρετικήν mirari coepi, sed sic ut numquam τὰ ὄντα et τὰ μὴ ὄντα temere confunderem in unum, quod qui faciunt mihi semper nescio quo modo ἀσύνετοι videntur esse et severis litterarum studiis, et sanae interpretationi vehementer obesse. Itaque in Callimachi causa istis ψευδέσιν ὀνείροις non utor. Ἄμα quod numquam fuit in rerum natura, sed est λόγῳ tantum θεωρητόν, laborantem Callimachum expedire non potest. Quam rideret Porphyrius, quam rideret ipse Callimachus si suum errorem sic tegi et excusari sciret! Peccaverat: duo erant vocabula

prisca, casca, obsoleta, ἀματροχιά et ἁρματροχιά, quae apud solum Homerum semel legebantur, quibus utebatur nemo, quae noverat nemo, nisi qui Homerum legisset. Callimachus, qui tam multa legerat et neque scire omnia neque meminisse poterat, aliquid humani passus est et ἀματροχιά dixit quum ἁρματροχιά debuisset. Sed „*graeco sermoni plurimum studii impendisse Callimachum quaevis pagina docet*," Meinekius inquit. Sed erat res tantae molis imitari et recoquere Alexandriae, istis moribus, ista lingua, sermonem veterum poëtarum, ut Callimachum in illo conatu defecisse et errasse quaevis pagina doceat. Quod autem Meinekius affirmat „*Callimachum in dictione perpauca novasse videri*," unde tandem, quaeso, id scire potuit aut unde cognovit aut collegit? Graeci omnes inexhaustis Graecitatis copiis ita utebantur, ut plurima omnes novarent, et haec erat summa poëtae laus, si quis multa non prius audita felici audacia ipse primus excogitasset. Sed sine exemplo eruditus homo est, ait. „*ut in historiis fabulisque tractandis nihil se pro arbitrio finxisse ipse testatur, ita etiam in dictione perpauca videtur novasse.*" Primum non sunt haec eiusdem generis, historias fabulasque novas comminisci et novas dicendi formas fingere. Praeterea quid est quod se Callimachus *nil sine teste cantare* dicit, ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω? Quos tandem nobis testes narrat? Nempe eos quos constet inter omnes quidlibet semper ausos esse? πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. In Graecia semper cantoribus laudi fuit, si quis

ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὅμοια.

hoccine est *testes dare*, si eos produxeris quos nihil non suo arbitratu finxisse fatearis? Et quis credat Callimachum nihil commentum esse de suo praeterquam in iis, quae de antiquis Graeciae institutis sedulo ex libris collegerat? Ecquis tam simplex et fatuus est, ut in animum inducat suum Callimachum testes habere unde didicerit quid Diana tenera puellula genibus Iovis insidens cum patre egerit? aut Erysichthonem domesticam felem post omnia comedisse? aut Herculem spe epularum avide Dianae venatricis reditum exspectasse? Scilicet haec omnia homo puerilis ingenii de suo finxerat. Habemus etiam confitentem reum. In Hymno *in Iovem* veteres poëtas mendaces esse criminatur vs. 60:

δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί.

et statim de se ipse fatetur, se id agere ut ea *mentiatur* (hoc ipso verbo utitur), quae aliquam probabilitatis speciem habeant:

ψευδοίμην ἀΐοντος ἅ κεν πεπίθοιεν ἀκουήν.

Non meminit *mendacem memorem esse oportere:* nam quum illo loco *mentiatur* Iovem virtute, non sorte coeli regnum esse consecutum, alibi docuit quo loco Iupiter cum fratribus fuerit sortitus. Meinekius qui suspicatur (p. 131) longo intervallo duo haec carmina, quibus sic sibi ipse poëta repugnat, distare, nihil aliud ostendit quam se ipsum adeo esse veritatis diligentem ut ne ioco quidem mentiatur.

Quemadmodum igitur in fabulis sibi aliquid putavit licere, sic in dictione nihil non ausus est. In Homericis multa eum fefellerunt, quorum usum et rationem non satis perspectam habebat. Quam multa post Callimachum demum reperta sunt, in quibus ille cum caeteris caecutiebat. Quam facilis erat in plerisque error, quum nemo esset qui errantem admonere posset aut meliora docere. „*Sed si quid recto et communi usui repugnans reperitur* (dicit Meinekius), *eorum pleraque non dubitandum est quin vetustiores poëtas vel dialectos abstrusas aliasve causas nobis ignotas secutus usurpaverit.*" Si iis usus est, quae *recto* usui repugnant, parum ei proderit cum aliis errasse. Num doctus homo, qui errantem alias res agens sequitur et imitatur, nil deliquisse videbitur? Sunt in populi lingua complura, quae quamquam vitiosa tamen constanti omnium usu tandem legitima fiunt et omni reprehensione carent. Alia res est in artificiali eruditorum sermone, ubi penes singulos est ea delibare quae proba et sana sunt. Quid autem est *dialectos abstrusas sequi?* Quid aliud quam ea recoquere quae apud poëtas dialecti abstrusioris ex popularium ore sumta legebantur, quae apud illos plana erant et perspicua, apud reliquos ἀδιανόητα? Si *causas nobis ignotas secutus est,* in densis tenebris versamur, ubi nihil dispici a quoquam potest. Sed, dicet aliquis, inique poëta sic *per ignorantiam* errasse dicetur. Excutiamus exemplum quo Meinekius utitur. Dixit Callimachus:

πέδιλα τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς.

Reprehendi olim poëtam, qui in πύθω priorem longam male corripuerit. Res certa est: πύθω semper et ubique priorem producit. Quid Meinekius? „*at fecit hoc certe non sine exemplo, vel si suo periculo fecit, certe sciens volensque fecit, non* per ignorantiam, *neque graviore nota dignus est quam ipse Homerus, qui in* πλημμυρίς *contra analogiam, ut videtur, mediam corripuit.*" Estne opus dicere haec leviter fingi et nihil ponderis habere? Constat πῦσε Graecum esse, ut ὀϛέα πύσει ἄρουρα. Nullo modo syllabae natura mutari potuit. In producenda omnes poëtae consentiunt. Vocabulum erat priscum, olim ex hominum usu exemtum, apud solos poëtas veteres exstabat. Nemo dicebat πύθω, quod populus ne intelligebat quidem: σήπω pro eo dicebant omnes. Si Callimachus *sciens volensque* corripuit, peccavit, sive longam esse ignoravit sive sciens non curavit. „*Sed Homerus quoque peccavit.*" Fac ita esse, quamquam non est: quid ad Callimachum? nullius syllabae quantitas certa erit, si quis veniam erroris meruisse videbitur quia in alio vocabulo peccavit alius. Sed multum abest ut antiquus cantor, quem Homerum appellare solemus, syllabam quae longa sit contra analogiam aut usum brevem fecerit. Πλημμύρω apud Homerum non legitur: in πλημμυρίς, quamquam in verbo producitur media, tamen eadem recte ex analogia brevis esse potest. Μαρτύρομαι secundam producit, sed eandem vocalem Graeci omnes in μάρτυρες, μαρτυρία, μαρτυρεῖν constanter corripiunt. Μινύρομαι longam habet secundam, sed brevis eadem est in μινυρίζειν, et sic in pluribus analogia docet verba in — ύρω et — ύρομαι exeuntia vocalem υ habere productam, quae in derivatis productisque formis continuo corripiatur. Itaque non est *contra analogiam* πλημμύρω dici penultima longa et in πλημμυρίς eandem corripi. Praeterea non sunt in talibus veterum carminum Homericorum cantores cum Callimacho et poëtastris Alexandrinis comparandi. Quum viveret et vigeret antiqua Epicorum lingua peccari contra syllabarum quantitatem impune non poterat: qui audiebant aut recte et usitate dictum agnoscebant, aut perverse et contra consuetudinem enuntiatum notabant. Erat populus, qui talia aut probata admitteret aut improbata respueret. Vivo Callimacho quis de

populo verbum *πύθω putrefacio* audiverat umquam aut prioris quantitatem tenebat? Nemo hercle. Itaque ut alios quosdam errores grammaticus quamvis doctus contra veterum morem commisit, sic in *πύσε* sine ulla excusatione syllabam, quae esset *φύσει μακρά*, imperite pro brevi posuit. Qui semel in tali re erravit saepius, credo, errare potuit. Dabo exemplum loci, in quo Meinekius ipse poëtam suum deliquisse fatetur. In ridiculo versu Hymn. *in Dian.* 160:

πaύσατ' ἀδηφαγίης. ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη.

male ultimam in *νηδύς* corripi annotavit Meinekius p. 286 áddens similis negligentiae in *ὀϊζύς* commissae exemplum:

ὀππότε κέ σφας ὀϊζὺς ἔχῃ κρυεροῖο βίοιο.

Non est ulla dubitatio quin olim longa fuerit syllaba, quam Callimachus corripi posse putavit, qui error in vocabulo obsoleto et ab eruditis recocto aliquam excusationem invenire poterit, sed frustra *abstrusas dialectos* causaberis et *rationes nobis incognitas*, cur poëtae ita facere sine reprehensione licuerit.

Est mihi cum Meinekio lenis quaedam dissensio, de quantitate syllabarum in vocabulis quibusdam, in quibus ego Callimachum suo arbitratu eandem vocalem modo producere modo corripere contendo, negat Meinekius pag. 151. Haec quoque controversia dirimi potest, si quis causam diligenter cognoverit. Callimachus non unam dialectum perpetuo sequitur, sed aliunde ea admiscet quae collubuerit. Testem produco ipsum Meinekium p. 201: „*Callimachus, ut orationi poëticum colorem conciliaret, non anxie ubique dialecti constantiam servavit, sed ut ipsi commodum videbatur, etiam epicum sermonem rarioribus et ab ionica oratione alienis formis tamquam gemmulis, ut ipsi videbatur, distinxit.*" Nihil addo: planissime idem mihi videtur. Itaque si quando pro diversa dialecto diversa esset eiusdem syllabae mensura, Callimachus modo hanc, modo illam sequitur, vocalem eandem nunc Ἰαςί producens, nunc Ἀττικιςί corripiens, et nonnumquam in eodem versu utramque quantitatem componens. Videri possit quodammodo id iure suo facere, nam si ei ius est Ionica et Attica permiscere, eidem licere debebit Ionicam quantitatem quoque cum Attica confundere: atque ita fecit, quamquam negat Meinekius, qui eum „*certam legem hanc secutum esse* affirmat, *ut ἴσος primam*

syllabam in arsi positam constanter producat, in thesi corripiat." Mira haec lex est. Nonne in ἶσος prior syllaba est φύσει μακρά, eademque φύσει βραχεῖα in ἴσος? Non minus interest inter ἶσος et ἴσος, atque inter κλᾶρος et Κλάρος. Ἶσος Ionicum est, ἴσος Atticum. Si Callimacho licet suo arbitratu aut Ionicum ponere aut Atticum, cur ei non licuit ἶσος in versu ita collocare ut prior esset in thesi? Sed numquam ita collocavit, dices. Fateor, sed rarissime eo adiectivo utitur et casu factum est (fieri certe potuit), ut numquam in thesi ι produceretur. Nihil sic proficiemus, sed dabo aliud plane gemellum, in quo res liquido appareat. Καλός prorsus eodem modo Ionice priorem semper et ubique producit, Attice eandem eadem constantia corripit. Quid Callimachus? priorem in καλός suo arbitratu modo producit, modo corripit. Vocabulum est frequentissimum, et magna est apud Callimachum quoque exemplorum copia. Passim α corripitur, ut in Epigr. 8:

μικρὴ μὲν, Διόνυσε, καλὰ πρήσσοντι ποιητῇ
ῥῆσις.

ubi reliqua habent colorem Ionicum, καλά Atticum, sed καλὰ πρήσσειν Callimacheum inventum est pro καλῶς πρήσσειν. Corripitur pariter in Epigr. 30 et 52, et in Dubiis 2 et 5. Corripitur passim in Hymnis, ubi in vicinia producitur. Longa est v. c. Hymn. *in Apoll.* vs. 59 καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ, *in Dian.* vs. 211

καλὴν Ἀντίκλειαν ἶσον φαέεσσι φιλῆσαι.

Corripitur *Hymn. in Apoll.* 3.

τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.

sed tertio abhinc versu producitur eadem:

ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.

Minime etiam dubitavit Callimachus in uno eodemque versu eandem syllabam et longam et brevem ponere, ut Hymn. *in Iovem* vs. 55:

καλὰ μὲν ἠέξευ, καλὰ δ' ἔτραφες.

et in Epigrammate 29:

καλὸς ὁ παῖς, Ἀχελῷε, λίην καλός. εἰ δέ τις οὐχὶ
φησίν — ἐπιςαίμην μοῦνος ἐγὼ τὰ καλά.

Videamus nunc ecquid legem a Meinekio repertam poëta noverit. Audi vs. 36 Hymni *in Apollinem:*

καὶ μὲν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος.

et vs. 181 Hymni *in Dianam:*

ἦλθε παρ' Ἥλιος καλὸν χορόν.

et in Fragm. 155:

ἐν δὲ Πάρῳ καλαί τε καὶ αἰόλα βεῦδε' ἔχουσαι.

nihil interesse vides utrum α in arsi an in thesi sit collocatum, nam utrobique producitur. Haeret igitur in Callimacho ea culpa, cuius eum affinem esse contendimus. Temere ea miscet quae olim omnes sedulo secernebant: quod quum in verborum usu toties fecerit, idem eum in syllabarum mensura nonnumquam fecisse quis mirabitur?

Ut vincam Callimachi dictionem vitiosam esse et ineptam, lubet ipsius Meinekii disertis testimoniis uti, qui quamquam poëtam suum ab omni reprehensione defendere satagit, tamen, ut est Graecitatis peritissimus, in clara luce caecutire non potest, et non ita servit argumento ut Callimachi vitia et errores aut plane non animadvertat aut animadversa callide silentio praetereat. Colligam quaedam ex iis, quae Meinekius ipse Callimachi dictionem reprehendentibus aut concedit aut ultro suppeditat. Confirmat Meinekius p. 256 quod olim de Callimacho iudicium tulerat „*Callimachum in summa brevitate videri loquacissimum.*" quod autem continuo addit: „*habet haec loquacitas praesertim in hoc exili poëseos genere multum venustatis,*" in eo suum quisque sequatur iudicium. Loquacem et verbosum versificatorem esse Callimachum et doctrinae suae et in rebus et in verbis ostentatorem, id quidem ipso Meinekio fatente (quem vide etiam ad Hymn. *in Iovem* vs. 94) nemo harum rerum probe gnarus negabit: sed venustum hoc esse et elegans in quocumque tandem poëseos genere

οὐδέποτ' ἐπείσθην οὐδὲ νῦν πεισθήσομαι.

Iudicari poterit in illo ipso loco quem Meinekius tuetur. In *Lavacro Palladis* Callimachus hos quatuor versus panxit 71—74:

ἵππω ἐπὶ κράνᾳ Ἑλικωνίδι καλὰ ῥεοίσᾳ
λῶντο· μεσαμβρινὰ δ' εἶχ' ὄρος ἀσυχία.
ἀμφότεραι λώοντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι,
πολλὰ δ' ἀσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος.

Bis idem dici palam est, quod quum olim ferret nemo, certatim alterum distichon eruditi confoderunt. Meinekius poëtae sua non vult eripi: recte mea quidem sententia. Placuit Cal-

limacho esse loquaciori et licuit. Retineat igitur versus suos, sed sic ut eosdem melius omissurus fuisse iudicetur. Languet enim ista repetitio et friget, sed qui Callimachum bene novit et ingenium hominis eruditioris quam acutioris perspectum habet, assentietur Meinekio genuina haec esse statuenti, sed ab eodem multum venustatis haec habere pronuntiante dissentiet. Idem faciet in multis locis, quos teretes Ruhnkenii aures non ferebant, qui quum Callimachum eximium poëtam esse arbitraretur, nullo modo concoquere poterat illam sive venustam sive invenustam loquacitatem. Recidebat igitur omnia quae ei (et hercle non iniuria) magno poëta indigna esse videbantur, quorum pleraque Meinekius recte vindicavit, sed sic ut minus magnifice de Cyrenensi poëta sit sentiendum, cui talia exciderint.

Non displicet Meinekio p. 261 *κέλοντι* pro *κέλονται*, quoniam „*constat quam saepe serioris aetatis scriptores activas formas passivis et passivas activis substituerint.*" Faciunt hoc nimis saepe, fateor, sed semper sic pessime et ineptissime loquuntur. *Χαίρομαι* pro *χαίρω* positum risum movet: cur caeteri errores eiusdemmodi veniam inveniant non video. Ipsi Meinekio fastidium peperit *πίνομαι* pro *πίνω* dictum pag. 250, quam *barbaram formam* appellat, qua quum Nicandrum usum esse ostendisset in his:

ὧν σὺ τότ' ἀμμίγδην τότε δ' ἄνδιχα πίνεο θρύψας.

ne hunc quidem ea forma usurum fuisse se credere scribit, *nisi metrum coëgisset.* Nisi metrum coegisset! Qualem esse poëtam credamus eum, quem metrum *cogere* potuerit absurde et barbare loqui? Quae est ista, quaeso, metri tamquam fati necessitas inevitabilis? Nonne vel mediocris poëta idem multis modis formare aut variare valet? Praeter nomina quaedam, imprimis propria, quorum syllabae certis metris repugnant, nulla metri necessitas poëtam impedire aut turbare potest. Novimus Horatianum:

Mansuri oppidulo quod versu dicere non est.

et Archestrati versiculum:

ἰχθύος αὐξηθέντος ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν.

sed quis credet cogi poëtam qualemcumque tandem posse ut *πίνεο* pro *πῖνε* dicat? Est hoc vetus eruditorum inventum et com-

mentum ad ea excusanda aut lenienda, quae aut a librariis aut a poëtastris peccata sunt. Legitur in Callimachi Epigrammate 54:

τὸ χρέος ὡς ἀπέχεις, Ἀσκλήπιε, τὸ πρὸ γυναικὸς
Δημοδίκης Ἀκέσων ὤφελεν εὐξάμενος.

turpem errorem vides: ὤφελεν est *utinam*, non (quod locus postulat) *debebat*. Annotat Meinekius: „*nisi metrum coëgisset, non dubium est quin ὤφειλε scripsisset.*” Hanccine excusationem turpissimi erroris accipiemus? Sequiores ὀφείλω et ὀφλισκάνω mirifice confundebant, ut alibi non semel ostendimus. Vetus discrimen olim apud Atticos constantissimum eruditi iuxta cum indocto vulgo ignorabant, permiscebantque diversa aut nova procudebant contra rationem et usum. Callimachus neque ὤφελεν neque ὤφειλεν dare debuerat, sed ὦφλεν, nam de *voto* dicit pro salute uxoris Demodices, cuius *damnatus erat* Aceson. Secutus est in his poëta vitiosam plebis συνήθειαν, quod ne quis miretur statim cum hoc errore componam alium non minus turpem in eadem forma ὤφελε commissum. Legitur in Epigramm. 17, 1:

Ὤφελε μηδ' ἐγένοντο θοαὶ νέες.

quem *soloecismum* ex plebis Alexandrinae usu Callimachus arripuit, qui nescire certe non potuit ὤφελε numquam verbi naturam et compositionem exuisse, sed quia invaluerat ut εἴθε et ὤφελε promiscue ab omnibus usurparentur, securus eorum secutus est consuetudinem quos quotidie sic audiebat dicentes.

Sed revertor ad reliquas Meinekii Callimachum reprehendentis animadversiones. Culpat Meinekius Callimachum p. 274 quod „*tempora permiscet.*” Ponit enim perperam imperfectum „*ubi* castigatus sermo *aoristum poscit.*” Sic dixit in Epigrammata 14:

Δαίμονα τίς δ' εὖ οἶδε τὸν αὔριον; ἡνίκα καὶ σέ,
Χάρμι, τὸν ὀφθαλμοῖς χθιζὸν ἐν ἡμετέροις
τῇ ἑτέρῃ κλαύσαντες ἐθάπτομεν.

ubi Meinekius „*ex linguae lege*” ἐθάψαμεν iubet reponi, sed has sibi *linguae leges* negant natas et reliqui Alexandrini poëtastri et Callimachus, qui iterum (admonente Meinekio) in Epigramm. 20 scripsit:

Ἠῷοι Μελάνιππον ἐθάπτομεν, ἠελίου δὲ
δυομένου Βασιλὼ κάτθανε παρθενική.

et saepius alibi chorda oberravit eadem. Manifestum exemplum est in epigrammate, quod in dubiis Meinekius posuit VIII. vs. 5, 6:

ἠλλάχθη δ' ἐπ' ἐμοὶ νεκύων νόμος· οὐ γὰρ ἔθνησκον
πρῶτον ἔπειτ' ἐτάφην, ἀλλὰ ταφεὶς ἔθανον.

ubi vides ἔθνησκον et ἔθανον ita poni quasi prorsus ἰσοδύναμα forent. Itaque in Hymno *in Cererem* vs. 114. ubi in libris est:

ἀλλ' ὅτε τὸν βαθὺν οἶκον ἀνεξήραινον ὀδόντες,

melius est quidem quod Ernesto praeeunte omnes receperunt ἀνεξήρανεν, sed potest tamen vulgata scriptura ab ipso poëta profecta esse. Meinekius qui in Epigr. 14 ἡνίκα καὶ σὲ — ἐθάψαμεν rescribi iubet, quoniam „*cum* ἡνίκα *coniunctum imperfectum non alio videtur sensu dici potuisse quam* eo tempore *quo te sepeliebamus*." sibi ipse obloquitur continuo addens ἡνίκα h. l. „*causali potestate dictum* quandoquidem *significare*," cuius usus *aliud exemplum nullum suppetere* rectissime admonet. Nempe Callimachus analogia, ut solet, abusus, quia ὅτε et ἐπεί utraque potestate usurpari sciebat, idem sibi in ἡνίκα opinatus est licere. Quam multa in paucis illis verbis peccavit! εὖ οἶδε substituit pro οἶδε. Graeci, ut omnes, ita dicunt: τὴν αὔριον τίς οἶδεν; pro οὐδεὶς οἶδεν, sed quis in tali re εὖ vel καλῶς addiderit? Callimachus εὖ inseruit πρὸς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ, et sine dubio importunam voculam omisisset *nisi eum metrum coëgisset*. Praeterea recte non habet τὸν αὔριον δαίμονα εἰδέναι, nisi additur *cuius* quis sortem aut fortunam crastinam nesciat. Unde mihi subnata suspicio est poëtam dedisse:

Δαίμονα τίς τευ οἶδε τὴν αὔριον;

id est τίς τινος οἶδε τὴν αὔριον τύχην; quae lectio et eas quas diximus difficultates prorsus removet et illas, quae Meinekium impulerunt ut crederet initium carminis intercidisse. Sed alia sunt reprehendenda: τὸν ὀφθαλμοῖς χθιζὸν ἐν ἡμετέροις ineleganter dictum est pro ὃν χθὲς ζῶντα καὶ ὑγιαίνοντα εἴδομεν, et peius etiam τῇ ἑτέρῃ usurpatum est pro τῇ ὑστεραίᾳ *postridie, die post*. Graeci in τῇ ἑτέρῃ aut θατέρᾳ omittebant χειρί, non ἡμέρᾳ. In altero Epigrammate, 20, ἠῷοι mendosum

est pro ἠοῖοι, quod formatum est ut αἰδοῖος, γελοῖος, et barbarum est δυνομένου pro δυομένου. Plane idem valent δύομαι et δύνω, quod Ionicum est, ut saepius ostendimus, pro δύομαι: sed δύνομαι est mera barbaries.

„*Iusto negligentius poëtam locutum esse*" Meinekius „*fatetur*" pag. 280, similiterque p. 305 notat pro μοῦνον „*rectum dicendi usum requirere* μούνης." „*Sed* (inquit) *talia in Alexandrino poëta non miranda sunt.*" Cur igitur reliquam dicendi negligentiam ac labem non eadem libertate notabimus? Notavit Meinekius ipse p. 303 locum ubi εὕρετο pro εὗρε „*suae aetatis vitio dixit poëta.*" et quam multa alia poterat eodem iure notare?

Analogia abusum esse Callimachum ipse Meinekius p. 282 si non diserte fatetur, tamen satis aperte indicat. Ubi ei reddit (an obtrudit) ὅτις pro ἥτις ita scribit: „*nominativi* ὅτις *pro feminino* (ἥτις) *dicti nullum quidem exemplum suppetit, at si* ὅτινος *pro* ἥστινος *dici potuit, potuit etiam* ὅτις *dici pro* ἥτις, *praesertim a Callimacho, hoc est ab eo poëta, qui non pauca ex hoc genere ad quandam analogiae speciem vel ipse formavit vel alios ita locutos secutus est.*" Temerarium est in talibus novas formas ex analogia fingere. Sat magna talium in antiqua Graecitate copia erat, praesertim ei qui omnes omnium aetatum dialectos temere miscebat in unum. Aequissimo animo ferunt eruditi Ionica apud Callimachum Doricis et Aeolicis contaminari, et compluscula de genere hoc Meinekius primus invexit, veluti πώνειν pro πίνειν Hymn. *in Cerer.* 96.

χὠ μαστὸς ὃν ἔπωνε καὶ αἱ δέκα πολλάκι δῶλαι.

ubi dubites utrum ἔπωνε pro ἔπινε stultius esse existimes, an *imperfecti* usum pro ἐπεπώκει, an ὁ μαστὸς ὃν ἔπωνε dictum pro *nutrice.*

Acriter sed iure castigat Callimachi ἀκυρολογίαν Meinekius ad Hymn. *in Iovem* vs. 46.

Ζεῦ, σὲ δὲ Κυρβάντων ἕταραι προσεπηχύναντο.

et verbum προσπηχύνεσθαι „*subabsurde compositum esse*" iudicat. Quia Homerus dixerat περὶ πήχεε βάλλειν et χέασθαι, Alexandrini finxere verba πηχύνω, περιπηχύνομαι et προσπηχύνομαι, quemadmodum Veteres et περιπτύσσεσθαι et προσπτύσσεσθαι dixerunt. Haec omnia inepte et „*subabsurde*" ficta esse

neminem fugere potest, et omnium minime Meinekium, qui Apollonium „*audacius etiam, ne dicam absurdius*" verbo πηχύνειν usum pro κρατεῖν, (ubi pro *manu tenens* dixit παλάμῃ ἔνι πηχύνουσα) ita increpat ut dicat: „*quod quo pacto commode explicari possit, fortasse ne ipse quidem sciebat Apollonius.*" in qua re ex animi sententia ei assentior.

Iterum Callimachum castigat ad eiusdem Hymni vs. 60, ubi *antiquos* poëtas mendacii arguens dicit:

δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί.

δηναιός enim, quod ex certa analogia, quam omnium usus confirmat, significare debet πολυχρόνιος vel μακρόβιος, a Callimacho ex sua libidine pro ἀρχαῖος vel παλαιός usurpatur. In Epigrammate 105, ubi iterum eo sensu τεθμῷ δηναιῷ legitur pro νόμῳ ἀρχαίῳ, Meinekius oblitus esse videtur palmariae Valckenaerii emendationis in Diatribe Euripid. p. 215. c.

οὔπω Σμίλιδος ἔργον ἐΰξοον,

corrigentis pro σκέλμιον ἔργον. Apud Clementem Alexandr. Protrept. p. 41 ubi in libris est: τὸ ἐν Σάμῳ τῆς Ἥρας ξόανον σμίλῃ τῇ Εὐκλείδου πεποιῆσθαι Ὀλύμπιχος ἐν Σαμιακοῖς ἱστορεῖ, vera scriptura est: Σμίλιδι τῷ Εὐκλείδου.

Gravissimum omnium crimen Meinekius in Callimachum coniecit p. 284 ad epigramma 36:

τὸν βαθὺν οἰνοπότην Ἐρασίστρατον ἥδε δὶς ἑξῆς
ἀκρήτου προποθεῖσ' ᾤχετ' ἔχουσα κύλιξ.

ubi ita dixit: „*Alexandrini poëtae quamquam plerumque dictione artificiosissime elaborata usi sunt, saepe tamen ea ausi sunt quae quo pacto excusari possint prorsus non intelligitur.*" Est illud quidem verissime dictum ex mea sententia, et nubes exemplorum afferri possit, sed tamen in hoc loco Meinekius est iusto subtilior et ad vivum resecat id quod ποιητικώτερον debuerat accipi. Iudica modo: „*res ipsa postulat* (inquit) *ut qui aliquid secum auferre dicitur idem aliquo eat. — quo tandem calicem illum abiisse dicamus? calix immotus manebat eo quo antea loco fuerat.*" Exciderunt haec, credo, optimo seni properantius scribenti. Immerito ipsa calix culpatur: abstulerat bibacem hominem τὸ ἐν τῇ κύλικι, quod κύλικα dici qui Meinekium docere vellet ridicule se daret. Ὤιχετο ἔχουσα nihil aliud est quam ἥρπασεν, quod passim de fato dicitur, ut apud Homerum est:

τοὺς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι.

Ut ἔρχομαι ἔχων est *adduco mecum*, sic ἔχων οἴχομαι est *mecum abduxi*, *rapui*, *abstuli*, et quis iure reprehendet poëtam qui dixerit *nimium meri haustum potatorem abstulisse?* Compendifaciat igitur Callimachus hanc notam saepissime similem in aliis meritus, ut infra videbimus.

Praeter has Callimachi castigationes nonnumquam alibi Meinekius poëtam in loquendi usu peccasse demonstravit, veluti in Hymn. *in Iovem* vs. 53 τεύχεα πεπλήγοντες, ubi suspicatur eum „*Homericum aoristum* πέπληγον *pro imperfecto habuisse atque inde novum praesens* πεπλήγω *finxisse*." et eadem ratione in Hymn. *in Dianam* vs. 61. commentum esse participium in

ἀμβολαδὶς τετύποντες,

quasi ea forma praesentis temporis esse potuisset. Quam facile erat dicere ἀμβολαδὶς τύπτοντες, sed Callimachus transvolat in medio posita et mirifica et aliis indicta captat. In horum uno continere se Meinekius non potuit, ubi dixit poëta Hymn. *in Dianam* vs. 41. ὄρος κεκομημένον ὕλῃ. Lenius appellavit „*formam a communi usu dicendi remotam*," quum absurdam et barbaram appellare debuisset. Nunc quidem de *dialectis abstrusis* et *causis nobis ignotis* cur ita ei dicere liceret minime cogitavit. Et hercle difficile est κομᾶσθαι pro κομᾶν dictum defendere aut excusare. Sic non licebit amplius Datidis χαίρομαι ridere. Meinekius tamen analogiae usum minime angustis finibus circumscriptum esse arbitratur, ut qui vel ἐγεινάμην pro ἐγενόμην dictum concoquere potuit, quem „*aoristum poëta sive ipse sive aliorum exemplo finxit e praesenti* γείνομαι nascor, *sed ut significationem paululum immutaret*," ut scribit ad Hymn. *in Cererem* vs. 58. Si Callimachus sic aoristum finxit, non potuit gravius errare. ΓΕΙΝΟΜΑΙ enim est vitiosa scriptura pro γίγνομαι et γείνατο certo et perpetuo Epicorum usu, quem Callimachus quoque alibi sequitur, significat *genuit*. Qualis igitur lingua est, in qua sic omnia contra rationem et usum susque deque habentur?

Explicitis igitur Meinekii in Callimachum criminationibus, qui quum summa ope poëtam ab omni reprehensione vindicare studeat, tamen victus veritatis viribus tam graviter et severe eum reprehendit ipse, sequitur ut nova quaedam veluti

crimina in eum ego colligam, unde appareat in constituenda Graecitatis consuetudine ut reliquis Alexandrinis sic Callimacho quoque nil esse credendum, neque quidquam eius auctoritati tribuendum esse.

Non lubet nunc per omnia Callimachi carmina et carminum fragmenta libero pede vagari: continebo me intra unius Hymni fines, in quo si quid a librariis peccatum esse videbitur paucis quid reponendum censeam declarabo, et quidquid ab ipso poëta perperam aut praepostere admissum esse arbitrer eadem brevitate signabo. Delegi Hymnum *in Dianam*, de caeteris alio tempore dicturus. Vs. 9, 10:

ἐμοὶ Κύκλωπες ὀϊστούς
αὐτίκα τεχνήσονται, ἐμοὶ δ' εὐκαμπὲς ἄεμμα.

male solet Callimachus abstrusa vocabula, tantum non omnibus Graecis inaudita, ex aliquo obscuro angulo eruere et iis tamquam gemmulis (ut ipsi quidem videtur) sua carmina distinguere. Videntur nonnulli in insula Creta alicubi *arcum* appellasse ἄεμμα. Cupide hoc arripit doctus poëta, et sic mirifice se credidit esse locutum. Stupebant talia aequales docti indoctique, et qui ista quid significarent alicunde expiscati essent multum se sapere opinabantur. Habebat ea κακοζηλία hoc quoque mali, ut audientium animi a sententia ad verba poëtarum avocarentur, et dum singula vocabula inaudita et incognita stuperent, quid tandem poëta diceret minus curarent. Quin etiam quum sententiae securi et incuriosi obscuras istas et reconditas γλώσσας explanarent, in ioculares errores implicabant sese, ut in hoc ipso ἄεμμα apparet, quod νευρὰν esse Scholiasta interpretatur neque reputans νευρὰν non recte εὐκαμπῆ dici neque Dianam sagittas et *nervum* a Cyclopibus flagitare. Ἄεμμα unde natum sit sciri non potest: nam quod Anna Fabri hariolatur *„ex ἅμμα esse productum,"* (ut pleraque alia quae festiva puella ad Callimachum annotavit) ἄρρητον ἄμεινον. Nemo omnium, qui exstant, eo vocabulo usus est umquam: itaque qui rariora mirantur habent in ἄεμμα quo animum oblectent. Longum catalogum talium ex Callimacheis contexas. Dabo pauca ex fragmentis selecta. *Caput* appellat κεβλήν pag. 497. Ern. *vestes* βεῦδεα in his: αἰόλα βεύδε' ἔχουσαι pro ποικίλα ἱμάτια, pag. 502: *sagum* non

χλαμύδα sed ἄλλικα pag. 501. *sacerdotes* non ἱερείας sed λητεῖρας pag. 490. *oculos* λοχάδας (an λογάδας) pag. 495. *antiquum* non ἀρχαῖον, sed γέγειον, ut in τῶς ὁ γέγειος ἔχει λόγος, et γεγειότερον ἀγῶνα pag. 300 et 475. Ἔγραε illi est ἤσθιε pag. 514. Κατακᾶσα ponitur pro πόρνη pag. 510. et μυνδότεροι pro ἀφωνότεροι pag. 532, et κηκάδι pro κακολόγῳ pag. 531, et φαρόωσι pro ἀροῦσι pag. 510. *Filius* ei dicitur νέπους pag. 456 in his:

ὡς ὁ Κεῖος Ὑλλίχου νέπους.

id est ὡς Σιμωνίδης ὁ Ὑλλίχου. Πρόφασιν appellat προχάνην et alibi et pag. 425. *Sororem* non ἀδελφήν sed ὁμόδελφον, aliaque multa eiusdem farinae spargit, quae utrum *verba* dicamus esse an *portenta*, ῥήματα ἢ θαύματα? Facile credimus Macedones olim κεβλήν dixisse pro κεφαλήν, et τὴν χλαμύδα in Thessalia aliquando ἄλλικα fuisse appellatam, sed qualem eum poëtam statuamus esse, qui ista obsoletorum verborum cadavera, quasi lumina orationis, suis carminibus intexat? Neque satis habuit a Thessalis et Macedonibus talia mutuari, namque iis quoque utitur, quae numquam apud ullum Graeciae populum in usu fuerunt, sed in stolidis Grammaticorum ἐτυμολογούντων cerebris nata sunt, quale est ὁμόδελφον pro ἀδελφήν. Somniabant enim Grammaticorum filii ἀδελφόν et ἀδελφήν sic ex nomine δελφύς formata esse ut A haberet vim *collectivam*, ut in ἀκόλουθος, quod pro ὁμοκέλευθος dici comminiscebantur. Itaque ἀδελφόν et ἀδελφήν dici pro ὁμόδελφον. Callimachus non tantum commentum hoc pro vero certoque probavit, sed usurpavit adeo illud ipsum ὁμόδελφον pro *sorore* haud secus ac si probum et genuinum vocabulum foret, quo quid perversius esse potest? Sed etiam peius fecit poëta grammaticus, quum versiculum pangeret qui exstat apud Etymologum M. v. Ζάγκλον, τὸ δρέπανον, ὥς φησι Καλλίμαχος.

κέκρυπται γυνὴ ζάγκλον ὑποχθονίῃ.

quem versum ex II libro τῶν Αἰτίων sumtum esse docet Isaac. Tzetzes ad Lycophr. p. 125. τὸ δὲ δρέπανον παρὰ Σικελοῖς ζ ά γ κ λ ο ν καλεῖται. μέμνηται δὲ Καλλίμαχος ἐν δευτέρῳ Αἰτίων. Quid lateat in γυνή nondum est liquido compertum, sed hoc quidem perspicuum est dixisse poëtam „*in subterraneo* specu *falcem esse absconditam.*" *Falcem* autem non δρέπανον appel-

lavit, ut omnes, sed ζάγκλον, quod sumtum esse constat ex lingua τῶν Σικελῶν, id est barbarorum qui olim ante Graecorum colonias cum Sicanis totam insulam Siciliam obtinebant. Constat id autem e diserto Thucydidis testimonio VI. 4. (τὸ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγκλον καλοῦσιν), unde et alii et Callimachus glossam barbaricam cognoverunt. Sed quid eo poëta facias qui *barbarum* Siculorum vocabulum nactus illud in Graeco carmine haud secus posuit ac si Graecorum usu tritum omnibusque notum fuisset? Eodem iure Βρένδον dixerit aliquis pro ἔλαφον Messapiorum lingua usus, aut pro πόλιν βρία, quod Thracum est. Et βρία quidem pro πόλιν Callimachus non dixit, sed γέντα a Thracibus sumsit pro μέλη an pro κρέα (dissentiunt enim eruditi). Suidas: Γέντα: τὰ μέλη.

Γέντα βοὸς μέλδοντες.

Καλλίμαχος. Eustathius pag. 918, 29. Γέντα δηλοῖ Θρᾳκιςὶ τὰ κρέα, ὡς οἱ τὰ τῶν γλωσσῶν ἱςορήσαντές φασιν.

Admirari haec olim potuerunt malesani quidam in aula Alexandrina eruditi, sed qui liberae Graeciae monumenta litterarum et poëseos sedulo versant non dubito quin talia mecum contemnant fastidiantque.

Quam invenuste et perperam Callimachus novas vocabulorum formas procudens analogia abutatur duobus exemplis ostendere iuvat. Nomina in — όεις producta et in — οῦς et — οῦσσα contracta *copiam* et *abundantiam* significantia unusquisque Graecorum pro re nata formare potest soletque, ut σκιόεις, ἀςερόεις, ἰχθυόεις, δακρυόεις, et quid non eiusdemmodi? Quid Callimachus? quum *asinum* vellet dicere *auritam bestiam*, dixit θῆρα οὐατόεντα p. 548 Ern. Quod θῆρα nominavit ei non cessit feliciter, sed οὐατόεις plane est ridiculum et olim a Graecis derisum. Idem quum *gravidam* dicere vellet παιδοῦσσαν appellavit, infeliciter admodum et invenuste. Quanto lepidius antiquus et verus poëta quum idem non vulgato more significare voluisset ita dixit:

ἡ παῖς γὰρ ἔμπαις ἐςὶν ὡς ἠνδρωμένη,

apud Hesych. v. Ἠνδρωμένη.

Subiiciam his unum exemplum, unde luculenter appareat quam faciles sint homines eruditi in ferendis excusandisque Callimachi erroribus. Semel et iterum νησάων dixit pro νήσων,

quod tam turpe mendum est ac si quis pro ἀνθρώπων vellet dicere ἀνθρωπάων. Aestimari ex tali errore potest quam longe abfuerint eruditi illi Alexandrini grammatici et poëtae ab illa accurata linguae Epicae notitia et intelligentia, quam plerique in illis fuisse pro certo habent. Quid Meinekius? ubi legit Hymn. *in Del.* vs. 66:

νησάων ἑτέρη σκοπὸς εὐρειάων,

et apposuit iustissimam scholiastae reprehensionem hanc: παραλόγως ἔχει τὴν διαίρεσιν· οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν εἰς α ἐστιν, nihil aliud addidit quam "*aliud huius formae exemplum ex ipso ut videtur Callimacho enotavit Schol. Iliad.* T. 1 καλοὶ νησάων ἀστέρες." Poterat alterum exemplum ex hoc ipso Hymno adducere vs. 275. νησάων ἁγιωτάτη. Nihilo levior fit error bis saepiusque commissus, sed reprehendentis fit certior fides. Itaque credimus grammaticis antiquis, qui Callimachum ex Κολωνός genitivum Κολωνάων procudisse commemorant, Suidae v. Κολωνάων et Scholiastae ad Hom. Odyss. Ξ. 199. Suidae haec verba sunt: Κολωνάων καὶ νησάων παραλόγως ἐχρήσατο Καλλίμαχος. οὐ γὰρ παράγεται ἀπὸ τῆς κολώνης ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Κολωνοῦ. Ipsa verba Callimachi apud Homeri Scholiastam exstant:

ἔκ με Κολωνάων τις ὁμέστιος ἤγαγε δήμου
τῶν ἑτέρων.

quae verba ex Callimachi Hecale sumta esse suspicor et ex ipsius bonae vetulae ore excepta. Credo enim legendum esse ὁμέστιον ἤγαγε, non ὁμέστιος, et nihil aliud significare ὁμέστιόν με ἤγαγε quam *me domum duxit, uxorem duxit.* Huc pertinet quod apud Suidam legitur Ὁμέστιον: ὁμόοικον, ὁμωρόφιον, γαμετήν, et notum est quam multa ex Callimachea Ἑκάλῃ sine poëtae nomine apud Suidam supersint. Narravit igitur Theseo vetula nupsisse se olim cuidam ἐκ Κολωνάων δήμου τῶν ἑτέρων, quod quo sensu Porsonus, quem sequuntur omnes, in τῶν ἑτάρων mutaverit nullus video. Dixerat Callimachus ἐκ Κολωνάων δήμου τῶν ἑτέρων, quia duo erant Κολωνοί.

Revertor nunc ad Hymnum *in Dianam*, ubi dissentio a Meinekio in vs. 13, 14:

δός δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας Ὠκεανίνας
πάσας εἰναέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Ruhnkenii coniecturam *οἰέτεας* (pro *εἰνέτεας* quod libri habent) reiiciente et *εἰναέτεας* substituente. Si hoc poëta dedisset, quomodo continuo potuisset addere: *πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους,* si *ἀμίτρους* Scholiastae credimus (quod Meinekius facere videtur) denotare *τὰς μὴ διαπεπαρθενευμένας*. Non enim factum esse potuit quod de se nova nupta apud Aristophanem fatetur commemorato vetere amatore:

ὅςις με διεκόρευσεν οὖσαν ἑπτέτιν.

Ex ipsa rei natura *ὁμήλικας aequales* sibi, quibuscum choreas ducere ac ludere posset, puella a patre flagitabat. Praeterea ancillas poscit

αἵ τέ μοι ἐνδρομίδας τε καὶ, ὁππότε μηκέτι λύγκας
μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι, θοὰς κύνας εὖ κομέοιεν.

sed subridicule ancillas flagitat, quae sibi *calceamenta* et, ubi venandi finem fecerit, canes venaticos curent, nam quae est illa cura *ἐνδρομίδων*, et cur illud praecipue ministerium commemoratur? Neque bene habet *ὁππότε μηκέτι βάλλοιμι* pro *ὁπότε παυσαίμην βάλλουσα.* Ut enim *μηκέτι ζῆν* recte dicitur caeteraque quae semel finita numquam repetuntur, sic perperam *μηκέτι βάλλειν* ponitur de Diana venationem *aliquantisper intermittente*. Quod sequitur:

δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα, πόλιν δέ μοι ἥντινα νεῖμον
ἥντινα λῇς· σπαρνὸν γὰρ ὅτ' Ἄρτεμις ἄςυ κάτεισιν.

iam dixi supra verum mihi videri *πόλιν δὲ μίαν τινὰ νεῖμον,* quod coniecit Stephanus, sed errore illis temporibus pervulgato *μίην* scribens. Scribae, qui apud Herodotum toties *μίαν* in *μίην* depravarunt, idem in Callimacho peccasse videntur: deinde ΜΙΗΝΤΙΝΑ in *μοι ἥντινα* abiit. Pessime deinde Doricum *λῇς* admisit, in *ἥντινα λῇς*. Quis non sentit quam ineptum sit in carmine Ionico et linguam Homericam referente Ionicis ea admiscere quibus soli omnium Dores usi fuerunt? Quis ferat Atheniensem cui *ναὶ τὼ σιώ* vel *οὐ τὼ σιώ* sit in ore?

Δωρίσδεν δ' ἔξεςι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι,

sed hercle non licet iis, qui se totos ad Homeri et Ionicorum poëtarum exemplum in sermonis usu accommodarunt. Quod in proverbio est

χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα,

praesertim de non excedendis linguae finibus dici potest et quod in Peloponnesi extrema parte inscriptum erat:

τάδ' ἐςὶ Πελοπόννασος, οὐκ Ἰάονες.

et in opposita parte finium:

τάδ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία.

non minus ditionis et imperii terminos quam institutorum et linguae olim constituebat. Sed eruditi grammatici iidemque poëtae in unam farraginem miscebant omnia, quique Cretensium, Thessalorum, Macedonum, et barbarorum adeo Σικελῶν verbis utitur, non poterat Lacedaemoniorum et Atheniensium et Thracum dictionibus abstinere. Quid interesset inter Ναί et Νή Callimachus in tam constanti et frequenti Veterum usu vix videtur nescire potuisse. Semper et ubique Iones et Athenienses utebantur vocula Νή, νὴ τὼ θεώ, νὴ Δία cet. Eadem constantia Dores omnes ναί dicebant, ναὶ τὼ σιώ, ναὶ τὸν Διοκλέα, ναὶ τὰν Κόραν. Tamen haec quoque Callimachus in Epigrammatis confudit. Recte dixit ναὶ γᾶν in Dorico Epigramm. 46, male ναὶ τὸν Πᾶνα in Ionico 44.

Σπαρνόν pro σπάνιον ei impense placuit et quum vellet dicere "nam raro *fiet ut Diana* (de montibus) *descendat in urbem.*" novo more dixit σπαρνὸν ὅτε Ἄρτεμις κάτεισιν ἄςυ, ubi neque ὅτε recte habet neque κατέρχεται ἄςυ pro ἄςυδε vel εἰς ἄςυ, neque hoc ipsum caruisset reprehensione, quoniam εἰς πόλιν dictum oportuit.

Quod continuo addit: ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες τειρόμεναι, melius praepositionem ὑπό omisisset, et in sqq. ᾗσί με μοῖραι Γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν, pro ΓΕΙΝΟΜΕΝΗΝ rectius scribetur γιγνομένην, sed ipse poëta impegit quum verbo ἐπικληρῶσαι uteretur pro ἐπικλῶσαι et ἐπινῆσαι, quibus ex ipsa rei natura constanter in ea re veri poëtae utebantur.

In vss. 24, 25:

ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα
μήτηρ ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων.

insuave et durum est in priore versu hyperbaton, et γυίων ἀπεθήκατο pro *enixa est* propemodum est ioculare. Nihilo melius est κόλπων ἀπεθήκατο aut κόλπου, quod homines eruditi de *utero* recte poni faciles credunt. Γυῖα quo sensu apud Homerum constanter dici soleret, Callimachi aequales nondum

observaverant et aliquanto post cum permultis aliis Aristarchus id primus omnium animadvertit.

Supplicans puellula patri *πολλὰς μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας μέχρις ἵνα ψαύσειε.* in his primum quaeras cur *ἐτανύσσατο*, mediam formam, posuerit pro *ἐτάνυσσε.* Confundunt istius aetatis poëtae verba utriusque formae et quod semper metro convenit perinde probum esse existimant. Perperam etiam *πολλὰς χεῖρας* dixit pro *πολλάκις. Μέχρις ἵνα* recte legi Meinekius statuit pro *μέχρις οὗ*, sed idem *ψαύεσκε* requirit „*nisi modorum vim poëtam ignorasse dicere volumus.*" Si non ignorare, at certe non multum curare modorum vim Callimachum puto, modo numeri suaviter decurrant quidlibet confidenter dicentem, ut hoc ipsum *μέχρις ἵνα.* Quis umquam talia sic composuit? et quid in eo miraberis qui talia audeat?

Vehementer delectatus Iupiter filiolae festivitate parum se curare praedicat Iunonis iram, quum sibi Deae tam scitam prolem pariant (quasi vero liberûm quaesendûm causa amoribus dare operam soleret), et ad filiolam conversus, *Φέρευ τέκος* (inquit) *ὅσσ' ἐθελημὸς Αἰτίζεις, καὶ δ' ἄλλα πατὴρ ἔτι μείζονα δώσει.* Displicet *Φέρεσθαι* pro *λαμβάνειν* usurpatum, quia *Φέρεσθαι* de *praemiis* in medio propositis in certamine dici solet, unde *τὰ πρῶτα Φέρεσθαι* et sim. manaverunt. Magis etiam displicet *ἐθελημός*, id est *ἐθέλουσα, ἑκοῦσα*, aut (si mavis) *πρόθυμος*, quo quid esse potuit frigidius et magis supervacuum verbo *αἰτίζειν* additum? Quod *καὶ δέ* coniunxit poëta perverse fecit: unum aut alterum vocabulum solet interponi.

Inutilem medicinam fecit Meinekius versui 36:

πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι
μεσσόγεως νήσους τε.

et *διαμετρήσασθαι* quidem nullum probabilem explicatum habet, sed quod reponit vir doctus *διαμοιρήσασθαι*, vel *Διὶ μοιρήσασθαι*, parum satisfacit, et insulsum est *Διί* pro *ἐμοί* dictum. *Μεσσόγεως* a Callimacho ipso fictum est pro *μεσόγειος* vel *μεσόγαιος* ad exemplum formarum Atticarum *βαθύγεως, λεπτόγεως*, sim. Aliena haec esse a lingua Epica aut non cogitavit aut nihil curavit.

Iupiter promissa his verbis claudit vs. 38. *καὶ μὲν ἀγυιαῖς*

Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος. in quibus quid μέν sibi velit ne ipsum quidem poëtam scivisse suspicor. Pro forma Epica ἔσσεαι ex aequalium consuetudine ἔσῃ dicentium ἔσσῃ substituit. Vitium in κεκομημένον vs. 41 supra indicavimus.

In vs. 46 αὖθι δὲ Κύκλωπας μετεκίαθε, perperam αὖθι (id est αὐτόθι) posuit pro αὖθις, quem errorem etiam alibi in Callimacho veteres Critici notaverunt.

In vs. 50:

ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον.
ἱππείην τετύκοντο Ποσειδάωνι ποτίςρην.

male Homerico *aoristo* τετύκοντο abusus est pro *imperfecto*, et formam mediam posuit pro activa. Recte habet apud Homerum τετύκοντό τε δαῖτα, vel δόρπον vel δεῖπνον, namque haec *sibi* parabant. Contra in Odyss. O. 77.

εἴπω δὲ γυναιξὶ Δεῖπνον ἐνὶ μεγάροις τετυκεῖν,

namque hae *aliis* coenam erant paraturae. Nihil horum apud eruditos (ut aiunt) poëtas observatur.

Vs. 52 sq.

πᾶσι δ' ὑπ' ὀφρὺν
φάεα μουνόγληνα σάκει ἶσα τετραβοείῳ.

poëta quum exquisite vellet dicere plane aliud dixit quam volebat. Habemus omnes φάεα μουνόγληνα, sed credebat Callimachus se ita dicere posse Cyclopes esse μονοφθάλμους, quae eum opinio fefellit.

Ubi dixit nymphas Dianae comites prae pavore neque intueri Cyclopes ausas esse neque auribus ingentem fragorem ferre sustinuisse, ita pergit:

οὐ νέμεσις· κείνους γε καὶ αἱ μάλα μηκέτι τυτθαὶ
οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες,
ἀλλ' ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι
μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἑῇ ἐπὶ παιδὶ καλιςρεῖ,
Ἄργην ἢ Στερόπην. ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
ἔρχεται Ἑρμείης σποδιῇ κεχριμένος αἰθῇ.
αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται· ἡ δὲ τεκούσης
δύνει ἔσω κόλπους θεμένη ἐπὶ φάεσι χεῖρας.

Puerile hoc mihi quidem Callimachi commentum esse videtur et ἀπειροκάλως ab hominibus ad Deos translatum. Quod matres viderat facientes si forte essent filiolae petulantiores

nec satis sibi dicto audientes, subinepte ad immortalium deorum filias iam natu grandiores (*αἵ μάλα μηκέτι τυτθαί*) transtulit. Non servavit satis in his *τὸ πρέπον*. Quid si induxisset Deorum filiolos ac filiolas prima litterarum elementa socordius discentes, ac propterea increpitas aut castigatas, aut quidquid de genere hoc in mortalium aedibus fieri in puerorum educatione et institutione solet? Absonum et ridiculum, credo, foret. Sed non est minus absonum quod nunc commentus est. Mater petulantem filiam castigans Cyclopes in eam vocat. Repente Mercurius fuligine oblitus ex interiore parte aedium progressus puellam territat, quae trepidans in matris sinum confugit. Hinc autem collegit poëta non esse *aegre ferendum* vel *mirandum* potius (nam *οὐ νέμεσις* non multo plus significat quam *οὐ θαῦμα*), Dianae comites horribilem Cyclopum adspectum non tulisse, ut quos ipsae Deorum filiae *ἀφρικτὶ ὁρᾶν* non sustineant. Sed illae numquam Cyclopes viderant: ad sola nomina expavescebant et Mercurium *σποδιῇ κεχριμένον αἴθῃ* ineptae reformidabant. In dictione etiam nonnulla reprehendenda sunt: quod *grandiores* puellas appellat *μηκέτι τυτθάς* ferri potest, sed quod *μάλα* addidit *αἵ μάλα μηκέτι τυτθαί*, peccavit. De verbis *ἀπειθέα μητέρι τεύχοι* pro *ἀπειθοίη* supra diximus. In *ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο ἔρχεται Ἑρμείης*, est illa Callimachea articuli a suo nomine disiunctio, quae Graecitatis legibus et usui repugnat neque frequenti Callimachi usu excusatur. Ubi Graece vis dicere "*puella, quam parentes aiunt odisse nuptias*" dicere non licet: *ἡ παῖς —, τὴν οἵ φασι τεκόντες εὐναίους ὀαρισμοὺς ἔχθειν*, pro *φασὶν οἱ τεκόντες*. Dixit illud quidem Callimachus, sed perperam et praepostere dixit. Praeterea tam male composita oratio est: *ὁ δὲ — ἔρχεται Ἑρμείης — .αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται*, ut vix eam sanam esse credam. Si pro *ἔρχεται* substitueris *ἐλθών* et omnia uno tenore continuaveris, locus optime procedet. Pro *μορμύσσεται* probati scriptores forma *μορμολύσσεται* uti solent. Callimachus ex *μορμώ* videtur breviorem formam procudisse.

Trepidantibus nymphis sola Diana intrepida portentosos Cyclopes intuetur. Ostenderat iam antea se illos non timere.

κοῦρα, σὺ δὲ προτέρω περ ἔτι τριέτηρος ἐοῦσα,

κοῦρα Aeolicum esse aiunt: qui Dorica et Attica audacter usurpat cur Aeolicis abstinuisset? *προτέρω* pro *πρότερον* cuius abstrusae dialecti sit nescio: hoc scio *προτέρω* non de *tempore* sed de *loco* dici, *βαίνειν προτέρω*. *Προτέρω περ* nunc quidem idem est quod *καὶ πρότερον*. *Τριέτηρος* pro *τριέτις* novum est sed non elegans Callimachi inventum. Vocaverat Vulcanus Latouam vs. 74. *ὅπως ὀπτήρια δοίη*, quod quale sit nescimus: namque *munus* esse *natalicium* levis est et sine auctore suspicio. Brontes Cyclops puellulam genibus suis imposuit, at illa ludibunda ex pectore hirsuto pilos vi evellit,

> *τὸ δ' ἄτριχον εἰσέτι καὶ νῦν*
> *μεσσάτιον ϛέρνοιο μένει μέρος, ὡς ὅτε κόρσῃ*
> *Φωτὸς ἐνιδρυνθεῖσα κόμην ἐπενείματ' ἀλώπηξ.*

in his *ἄτριχον* vitiosa forma est pro *ἄθριξ*, nam sic ut *οὐλόθριξ*, *πυρρόθριξ*, sim. dicebant, non *ἄτριχος*, *οὐλότριχος*, cet. Quam foeda sit et spurca imago et ab Hymni maiestate abhorrens, *ὡς ὅτε ἀλώπηξ τὴν κόμην ἐπενείματο*, unusquisque sentit. Pro *ἐπενείματο* Meinekius Schneideri coniecturam *ἀπενείματο* recepit, quod factum nollem. *Ἐπινέμεσθαι* enim proprie dicitur gliscens malum semper proxima quaeque absumens et *depascens*, ut morbus pestilens, ulcus, incendium. Sic Thucydides de pestilentia dixit noto loco II. 54: *ἐπενείματο δὲ Ἀθήνας μάλιϛα*, et praesertim morbus aut ulcus, quod carnes aut capillos *depascitur*, *ἐπινέμεσθαι* aut *ἐπιβόσκεσθαι* dicebatur. Vid. Bentleium ad Hymn. *in Dian.* vs. 125.

Diana igitur audacter Cyclopas sic affatur vs. 81.

> *Κύκλωπες, κήμοί τι Κυδώνιον εἰ δ' ἄγε τόξον*
> *ἠδ' ἰοὺς — τεύξατε.*

annotavit Meinekius *εἰ δ' ἄγε* "*mediae orationi interpositum exemplo fortasse unico*" a Callimacho esse. Infeliciter admodum et ineptissime id a Callimacho novatum est. Suapte natura *εἰ δ' ἄγε* in orationis initio collocari debet, ut in Callimachi Epigramm. I. vs. 5. *εἰ δ' ἄγε σύν μοι βούλευσον*, et sic apud omnes. Praeterea *εἰ δ' ἄγε — τεύξατε* soloecum est pro *εἰ δ' ἄγετε*.

Arcum et sagittas nacta Diana canes venaticos petitura in Arcadiam se confert ad Pana vs. 89:

ὁ δὲ κρέα λυγκὸς ἔταμνε
Μαιναλίης, ἵνα οἱ τοκάδες κύνες εἶδαρ ἔδοιεν.

Ostendit Meinekius εἶδαρ ἔδειν recte dici, improbans quod Anna Fabri luserat εἶδαρ ἕλοιεν. Recte id quidem improbat, sed aliud quid latere videtur, nempe εἶδαρ ἔχοιεν. Secabat carnes ut foetae canes haberent quo vescerentur. Si ἔδοιεν servas additum εἶδαρ frigidissime παρέλκει.

Pan Deae donavit canes acerrimos, οἵ ῥα λέοντας Αὐτοὺς αὖ ἐρύοντες — εἷλκον vs. 92. Callimachus Homericum αὐερύειν quid esset non perspexerat: utitur tamen haud secus ac si plane intelligeret et illi verbo significandi potestatem affingit, quam numquam habuit. Inesse in multis vocabulis Homericis antiquam litteram, quam soli Aeoles retinuerunt, multarumque formarum originem hinc liquido apparere, ut in καυάξαις, αὐΐαχος, θεουδής, αὐερύειν, neque Callimachus neque quisquam Alexandrinorum alius suspicatus est umquam. Utebantur tamen, ut vides, iis quae non intelligebant, qua re quid potest esse ineptius?

Diana postquam comitante canum grege a Pane discessit ad montem Parrhasium invenit

σκαιρούσας ἐλάφους μέγα τι χρέος· αἱ μὲν ἐπ' ὄχθης
αἰὲν ἐβουκολέοντο μελαμψήφιδος ἀναύρου,
μάσσονες ἢ ταῦροι· κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός.

ab Atticis sumsit μέγα τι χρέος leviter mutatum; solebant enim illi μέγα τι χρῆμα aut καλόν τι χρῆμα dicere. Tragicis mos est χρέος pro χρῆμα ponere et sic Callimachus aliquid ab utroque genere delibans in linguam epicam admisit novam locutionem μέγα τι χρέος.

In iis quae sequuntur voculis μέν et δέ non admodum apte sententiae partes divisit, αἱ μὲν ἐβουκολέοντο, κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός. Neque feliciter verbo βουκολεῖσθαι usus est pro νέμεσθαι de cervis *libere vagantibus:* βουκολεῖσθαι enim dicuntur quibus custos est additus, ut apud Homerum

τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο.

Μάσσονες ἢ ταῦροι ita dixit quasi μάσσονες et μείζους idem esset, sed quia μάσσονες est μακρότεροι, errasse eum apparet.

Vs. 103:

ἐξαπίνης δ' ἔταφές τε καὶ ὃν ποτὶ θυμὸν ἔειπες.

ἔταφες ei est plane idem atque ἐθαύμασας. Eximiae formae cervas Dea *admirata* esse narratur. Sed ταφών apud Homerum pro καταπλαγείς, ἐκπλαγείς ponitur de *attonito* et *consternato*. Quod ὅν dixit pro σόν, notum est poëtas Alexandrinos pronomina possessiva mirum in modum confundere neque originem cuiusque formae respicientes neque constantissimam Homeri et antiquiorum omnium consuetudinem.

Numquam in talibus errasse Homerum locupletem testem habemus Aristarchum ipsum ad Odyss. N. 320:

ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων δεδαϊγμένον ἦτορ
ἠλώμην.

ad quem locum Veteres annotant: νοθεύονται τέτταρες ςίχοι. ὁ μὲν πρῶτος ὅτι ἀντὶ τοῦ ἐμῇσιν ἔχει τὸ ᾗσιν, ὅπερ ἐςὶ τρίτου προσώπου, τηροῦντος ἀεὶ τοῦ ποιητοῦ τὴν ἐν τούτοις διαφοράν, quibuscum compara quae scripsit Apollonius Dyscolus περὶ Ἀντωνυμίας p. 139. τὸ

ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων

ἀντὶ τοῦ ἐμαῖς εὐλόγως ὑπ' Ἀριςάρχου ὑπωπτεύετο ὡς νόθον, καθὸ ἀδιάπτωτος ἐν ἀντωνυμίαις ὁ ποιητής. Ante Aristarchum neminem talia offendebant. Itaque ridiculum in modum omnia permiscebant Callimachus, Theocritus, Apollonius Rhodius, qui saepe eo nomine in Scholiis carpitur.

Subiiciam pauca quaedam huius καταχρήσεως exempla. Moschus IV. 77:

ἴςω γὰρ Κούρη τε καὶ εὐέανος Δημήτηρ
— μηδέν σε χερειότερον φρεσὶν ᾗσιν
ςέργειν ἢ εἴπερ μοι ὑπὲκ νηδυιόφιν ἦλθες.

ubi ᾗσιν est pro ἐμῇσιν. Theocritus XXII. 209:

ἦ γὰρ ὅγε —
μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα.

qui σφετέροιο pro οἷο posuit. Theocritus XXV. 55:

ὧδε γὰρ Αὐγείης —
σφωϊτέρῳ σὺν παιδὶ — χθιζὸς εἰλήλουθεν ἀπ' ἄςεος.

ubi σφωϊτέρῳ inepte dicitur pro ᾧ. Ibid vs. 163:

ὡσεί περ σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ βάλλομαι ἄρτι,

ubi σφετέρῃσιν significat ἐμῇσιν. Apollonius Rhodius I. 643:

Αἰθαλίδην — τῷπερ — σκῆπτρον ἐπέτραπον Ἑρμείαο
σφωϊτέροιο τοκῆος.

ubi scholiasta annotavit: ἀκαίρως (L. ἀκύρως) τῷ δυϊκῷ ἐχρήσατο ἀντὶ τοῦ ἑνικοῦ. Id. I. 1286 perperam dixit σφωϊτέρων ἑτάρων pro σφετέρων. Scholiasta: τὸ δὲ σφωϊτέρων ἀντὶ τοῦ σφετέρων κεῖται. οὐ γὰρ δύο, ἀλλὰ πολλοὶ ἦσαν οἱ Ἀργοναῦται. Id. III. 302 σφετέρης θυγατρός dixit pro τῆς ἑαυτοῦ, et vs. 327 νηὸς ἑῆς pro τῆς ἑαυτῶν, et vs. 335 ἀλκῇ σφωϊτέρῃ pro τῇ ἑαυτοῦ, et vs. 395 σφωϊτέροισιν ὑπὸ σκήπτροισι pro σοῖς, et vs. 511 ἑῇ ἠνορέῃ pro σῇ, et vs. 600 γενέθλης σφωϊτέρης pro τῆς ἑαυτοῦ, et III. 140 ἑαῖς pro τεαῖς, 167 ἑῆς pro σφετέρης, 186 σφέτερον pro ὅν et 267 ἑήν pro ὑμετέρην, similiaque alibi. Omnibus his locis eruditi Scholiastae castigant poëtae errorem, nonnumquam satis duriter, κακῶς ἐχρήσατο, ἁμαρτάνει, ἔδει εἰπεῖν et similia. Adde ad III. 622: καὶ νῦν κακῶς τὸ σφέτερον κτέ. et ad vs. 625: οὐχ ὑγιῶς οὐδὲ νῦν τὸ σφωϊτέρους. Vides quam bene illi Homericae linguae rationem teneant.

Vs. 112:

ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια, θεά, κεμάδεσσι χαλινά.

suspicor non sic dedisse poëtam, sed ἐν δ' ἔβαλες: ratio enim et usus pariter suadent ut ἐμβάλλειν, non ἐμβάλλεσθαι, in ea re dicatur.

Duriter admodum in sq. versu currus cervis iunctus ipse *corniger* nominatur, κερόεις ὄχος. Legerat Callimachus apud Aeschylum ὄχῳ πτερωτῷ in Prometh. vs. 135. idque ἀπειροκάλως imitatus est.

Corruptum est quod legitur vs. 124:

σχέτλιοι, οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.

nam neque ἐμμάξεαι, neque quod Meinekius coniecit εἰσμάξεαι eam notionem continet quam locus requirit, *concipere* iram.

Irata Diana v. 126. αἱ γυναῖκες

ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωΐδες ἠὲ φυγοῦσαι
τίκτουσιν. τῶν δ' οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη.

male haec divisa sunt et librarii vitio poëta nunc quidem ineptire videtur. Putes enim eum dixisse: *foeminae aut in partu pereunt aut e periculo elapsae pariunt.* Hoc quidem etiam sine Dianae ira fieri poterat, ut puerperae partim perirent partim salvae forent. Res nullo negotio restitui potest. Nempe τῶν quod continuo sequitur non est, ut videtur, pronomen demonstrativum, quod quo referendum esset non facile appa-

reret, sed *relativum.* Expuncta igitur molesta copula scribendum:

ἠὲ φυγοῦσαι
τίκτουσιν τῶν οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη.

Foeminae, inquit, aut *in partu pereunt* aut vitae periculo liberatae *ea pariunt quorum nihil recto talo stetit*, id est, aut moriuntur aut quod partum est debile est et infirmum. Φυγοῦσαι minus recte dixit pro ἀποφυγοῦσαι id est σωθεῖσαι. In tali re necessaria est praepositio ἀποφεύγειν vel περιφεύγειν, ut apud Demosthenem κατὰ Κόνωνος initio, pag. 1256, ὥστε μήτε τοὺς οἰκείους μήτε τῶν ἰατρῶν μηδένα προσδοκᾶν περιφεύξεσθαί με.

De discordia dicitur vs. 133: ἥτε καὶ εὖ περ
Οἴκους ἑστηῶτας ἐσίνατο.

non est venusta tmesis καὶ εὖ περ pro καίπερ εὖ. Quos Callimachus novo more dixit εὖ ἑστηῶτας οἴκους veteres Graeci εὖ βεβῶτας appellare solebant, ut apud Archilochum Stobaei Floril. CV. 24 Dii καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας ὑπτίους κλίνουσιν. Sed sive ἑστηκέναι sive βεβηκέναι dixeris, pro ἐσίνατο sive ἔβλαψεν requiritur verbum acrius, quo eadem metaphora continuatur, quemadmodum ὑπτίους κλίνειν Archilochus addidit, caeteri ἀνατρέπειν addere solent. Ἐσίνατο quam languidum sit et frigidum, quum non *damnum dare* tetra discordia dici debeat, sed *exitium afferre*, vident omnes.

Concordiae felicitatem describens vs. 134 ita dicit:

ταὶ δὲ θυωρὸν
εἰνάτερες γαλόῳ τε μίαν πέρι δίφρα τίθενται.

placuit sibi quum pro τράπεζαν cascum et obscurum vocabulum θυωρόν reperisset. Εἰνάτερες γαλόῳ τε ex Iliade huc invectae sunt. Quod in Priami domo non est mirandum Callimachi aetate neque Alexandriae neque alibi locorum facile, credo, fieri solebat, ut essent εἰνάτερες γαλόῳ τε in iisdem aedibus et cibum communiter caperent. Sed quod gravissimum est, ne intellexit quidem Callimachus quo sensu εἰνάτερες γαλόῳ τε apud Homerum dicerentur. Sunt enim haec nomina τῶν πρός τι et nisi additur cuius qua sit εἰνάτηρ aut γάλως prorsus nihil dicitur. Audiamus Homerum Iliad. Z. 378:

πῇ ἔβη Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἐκ μεγάροιο;
ἠέ πῃ ἐς γαλόων τε καὶ εἰνατέρων εὐπέπλων;

et X. 473. de Andromache:

ἀμφὶ δέ μιν γαλόῳ τε καὶ εἰνάτερες ἅλις ἔςαν.

Andromachae sunt γαλόῳ Hectoris sorores et εἰνάτερες uxores Hectoris fratrum. Helena igitur Andromachae erat εἰνάτηρ et Casandra γάλως. Iam tu vides quam imperite Callimachus utroque nomine abusus sit et dabis mihi praeterquam in Priami domo rarissime videre potuisse quemquam εἰνάτερας γαλόως τε ad eandem mensam sedentes. Poterat dixisse socrus atque nurus in felice domo fideli concordia una sedere, sed quum exquisitiora quaedam quaereret ad ineptias delapsus est. Similem errorem commisit Spanhemius, alter Callimachus, nisi quod carmina non pangebat, homo vastae et diffusae lectionis, sed iudicio et sanitate destitutus, quî ad Hymn. *in Dianam* vs. 29 annotavit: „θεαίνας pellices *hic suas decoro scilicet nomine vocat Iupiter.*" Non recordabatur Iunonem *pellices* habere, sed Iovem eas per rerum naturam habere non posse. Habet hoc usus verborum rariorum et exquisitiorum, ut saepius qui sic loquatur aut non intelligatur ab aliis aut ipse quid dicat non intelligat. Iacuisset semper illud dicendi genus nisi semper fuissent qui talia stulte mirarentur. Castigat Lucianus (aut Luciano similis alius) Lexiphanem, qui θυμάλωπα dixerat magnifice, sed quid esset θυμάλωψ iuxta cum ignarissimis nesciebat: καὶ οἱ μὲν ἰδιῶται πάντες ἐτεθήπεσαν ὑπὸ τοῦ ξένου πληγέντες τὰ ὦτα · οἱ πεπαιδευμένοι δὲ ἐπ' ἀμφοτέροις καὶ σοὶ καὶ τοῖς ἐπαινοῦσιν ἐγέλων. Lexiph. cap. 24. Tollam ridiculum errorem e Callimachi fragmento 308 apud Bentleium:

οὐδ' οἶσιν ἐπὶ κτενὸς ἤλθον ἔθειραι.

ubi necessario ἧσιν emendandum est, quia κτείς est αἰδοῖον γυναικεῖον, cuius vocabuli rarissimi usus quidam erat in sacrorum symbolis; vid. Clem. Alexandr. in Protrept. p. 6, 46 Sylb. Callimachus igitur quum vellet concordem domum describere ubi multi cognati et affines unanimes eidem mensae assiderent, non potuit esse κακοδαιμονέςερος τὴν γλῶτταν (ut Luciani verbis utar, vel quicunque Lexiphanem scripsit suae aetatis Callimachos castigans) quam ut diceret:

ταὶ δὲ θυωρόν
εἰνάτερες γαλόῳ τε μίαν πέρι δίφρα τίθενται.

Nemo umquam post Homerum nominibus εἰνάτηρ et γάλως (γαλόως) usus est. Praeterea vides novam articuli traiectionem in ταὶ — εἰνάτερες, qualem supra notavimus.

Leve mendum concepit vs. 136:

πότνια, τῶν εἴη μὲν ἐμοὶ φίλος ὅςις ἀληθής,
εἴην δ' αὐτὸς, ἄνασσα.

nisi hoc ages videbitur versus prior similis esse quodammodo ei qui legitur in Hymn. *in Cererem* 117:

Δάματερ, μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος ὅς τοι ἀπεχθής.

sed nihil huiusmodi poëta cogitavit. Postquam multis praedicavit felicitatem eorum quibus esset Diana propitia, exclamat: *O utinam in illorum numero sit* meus amicus, *simque et ipse.* Quamobrem scribendum: τῶν εἴη μὲν ἐμὸς φίλος, non ἐμοί.

Dianae a venatione reduci ubi ad regiam Iovis accessit procedunt obviam Mercurius et Apollo vs. 142:

ἔνθα τοι ἀντιόωντες ἐνὶ προβολῇσι δέχονται
ὅπλα μὲν Ἑρμείης ἀκακήσιος, αὐτὰρ Ἀπόλλων
θηρίον ὅττι φέρῃσθα.

quibus continuo addit satis pueriliter: *ita certe olim fiebat priusquam advenit Hercules:* νῦν δ' οὐκέτι τοῦτον ἄεθλον Φοῖβος ἔχει, in quo ἄεθλος quam male ponatur vides. τοῖος γὰρ ἀεὶ Τιρύνθιος ἄκμων Ἕςηκε πρὸ πυλέων ποτιδέγμενος εἴ τι φέρουσα Νεῖαι πῖον ἔδεσμα. Ἄκμων pro ἀκάματος dictum eadem laborat κακοζηλίᾳ quam ridemus in νηὸς ἰσχάδα et ἕκτορα pro *anchora*, et ναυαγός pro *navis rectore*, et βαλλάντιον pro *telo* (ὅτι ἀντίον βάλλεται), et μυςήρια *murium latebrae* ὅτι τοὺς μῦς τηρεῖ, et μένανδρος *virgo innupta*, ἡ μένουσα τὸν ἄνδρα, et quae reliqua de genere hoc leguntur apud Athenaeum III. p. 98 et in Helladii Chrestomath. apud Photium pag. 532. Qua de causa cachinnos movit Sophocles quum de suo finxisset *anchorae* nomen novum sic:

ναῦται δ' ἐμηρύσαντο νηὸς ἰσχάδα,

non cogitans ἰσχάδα alio sensu toti populo esse in ore, sic qui ἄκμων dicit pro ἀκάματος risum effugere non potest. Τοῖος quoque non habet quo referatur et absolute poni non potuit. De argumento ludicro et puerili et ab huiusmodi carminis gravitate prorsus alieno supra diximus. Sunt haec omnia tam humilia et abiecta ut ne in mediocri quidem Comico ferri

possent, praesertim quum ne mica quidem insit salis. Postquam helluo inter Deos receptus Dianam *astuto* (si Diis placet) sermone monuit (κερδαλέῳ μύθῳ ἐπίνυσκεν), ut spretis damis lepusculisque, ut quae humano generi nihil nocerent, apros potissimum feriret et tauros, continuo totus erat in contrectanda praeda, ταχινὸς μέγαν περὶ θῆρα πονεῖτο, ubi ταχινός novitium verbum est, quo Alexandrini multum delectantur. Tum vero Callimachus insulsam et inficetam hanc admonitionem carmini inseruit:

οὐ γὰρ ὅγε . . . . γυῖα θεωθεὶς
παύσατ' ἀδηφαγίης. ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη,
τῇ ποτ' ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι.

quis non statim admonitus sentit ineptissime dici γυῖα θεωθείς? Sed quid in eo miraberis qui Herculem ita divinae naturae participem factum esse commemoret ut retinuerit pristinam voracitatem et fuerit vetus helluo? Poëtam esse omnes consentiunt,

ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
magna sonaturum.

sed Callimachum concedunt „non *ingenio* sed arte valere": *magna sonaturum os* ipse sibi non esse fatetur ubi dicit in fragm. 165:

μηδ' ἀπ' ἐμοῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.

quamquam multus est apud eum ὀνομάτων ποιητικῶν ψόφος: *mentem diviniorem* non inesse vel hic locus declarat. Potuitne abiectius dicere quam παύσατ' ἀδηφαγίης et ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη? Tum observa mihi formam ἀροτριόωντι: Veteres omnes constanter dixerunt ἀροῦν, ut apud Theognidem est de adultero:

ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν.

sequiorum demum συνήθεια novam formam produxit ἀροτριᾶν, quam quum Callimachus de trivio sumtam ὁμηρικῶς sic effert ἀροτριόωντι, cuius aures hoc patienter ferre possunt?

Interea Dianae comites cervas iugo solvunt vs. 163:

παρὰ δέ σφισι πουλὺ νέμεσθαι
Ἥρης ἐκ λειμῶνος ἀμησάμεναι φορέουσιν
ὠκύθοον τριπέτηλον, ὃ καὶ Διὸς ἵπποι ἔδουσιν.

non animadvertit in his se verbo νέμεσθαι pessime abuti.

Νέμονται enim herbam et trifolium pecudes in prato vagantes, non item ubi quis in stabulo inclusis et ad praesepia stantibus pabulum obiicit. Rectissime dixit Homerus Iliad. E. 777.

τοῖσιν δ' ἀμβροσίην Σιμόεις ἀνέτελλε νέμεσθαι.

sed postquam ad stabulum ventum est ipsa rei natura aliud verbum postulat.

In vs. 166 Meinekius edidit:

ἐν καὶ χρυσείας ὑπὸ ληνίδας ἐπλήσαντο
ὕδατος.

pro ὑποληνίδας, admonens "*ὑπό tmesi disiunctum esse ab ἐπλήσαντο.*" Sed, credo, non cogitaverat ἐν versus initio positum ab ἐπλήσαντο tmesi disiunctum iam esse, ut novae tmesi non esset locus: quare nil mutandum. Caeterum Callimachus ut solet confudit ἐμπίμπλημι et ἐμπίμπλαμαι. Polyphemus apud Homerum μεγάλην ἐμπλήσατο νηδύν, et Ulysses

πλησάμενος οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλῆα,

et quisquis *sibi ipsi* aut ventrem aut poculum implet ἐμπίμπλαται, qui alteri ἐμπίμπλησιν. Sed hanc veterum diligentiam et curam ab Alexandrinis etiam eruditissimis frustra exspectes.

Ut dicat poëta choreas ducente Diana Solem spectandi gratia sistere currum et sic producere diem, his ambagibus utitur vs. 175:

μὴ νειὸν τημοῦτος ἐμαὶ βόες εἵνεκα μισθοῦ
τετράγυον τέμνοιεν ὑπ' ἀλλοτρίῳ ἀροτῆρι.
ἦ γάρ κεν γυιαί τε καὶ αὐχένα κεκμηκυῖαι
κόπρον ἔπι προγένοιντο, καὶ εἰ Τυμφαΐδες εἶεν
εἰναετιζόμεναι κερεαλκέες, αἳ μέγ' ἄρισται
τέμνειν ὦλκα βαθεῖαν· ἐπεὶ θεὸς οὔποτε κεῖνον
ἦλθε παρ' Ἥλιος καλὸν χορόν, ἀλλὰ θεῆται
δίφρον ἐπιστήσας, τὰ δὲ φάεα μηκύνονται.

Mirum accidit eruditum grammaticum et poëtam repente boves quasdam suas mercede locare, quem alia omnia et agere et possidere putasses. Pro εἵνεκα μισθοῦ melius uno verbo μισθοῦ dixisset et omittere poterat ὑπ' ἀλλοτρίῳ ἀροτῆρι, nam qui suas boves ad arandum locant, *alieno aratori*, credo, locant. Γυιός, quod est aut χωλός aut ἀσθενής, nove posuit

pro *labore confectus*, *exhaustus*. Nove etiam dixit αὐχένα κεκμηῦται, nam durae boum cervices non magis quam reliqua pars corporis fatigabantur, nisi forte de gravi iugo cogitavit. Mirum est etiam προγένοιντο ἐπὶ κόπρον. Κόπρος de stabulo Homericum est, ubi et εἰς κόπρον et ἀπὸ κόπρου eo sensu legitur, sed προγενέσθαι *procedere*, *progredi* a loci sententia alienum est. Requiritur ad stabulum *redire*. Fieri potest ut κόπρον ἔπ' ἀπονέοιντο genuinum ac probum sit: sed fieri etiam potest ut Callimachus minus accurate et proprie sit locutus. Miro etiam exemplo finxit verbum εἰναετίζομαι pro γέγονα ἔτη ἐννέα, εἰναέτης εἰμί, cui nihil Graecitas umquam simile tulit, nam diversissima ratio est in ἐνιαυτίζομαι *annum transigo*, ut ἡμερεύω, διημερεύω *transigo diem*, διετίζω, id est ζῶ δι' ἔτους, *per annum vivo*, aliaque id genus. Κεραλκέες inutiliter additum est, non enim *firmas* et *validas* esse boves denotat, sed ἐν τοῖς κέρασι τὴν ἀλκὴν ἔχουσαι, quod habent omnes. In vs. 180 sive θεὸς — Ἠέλιος leges, sive θοὸς cum Meinekio, frigide additur, et ἦλθε πάρα pro παρῆλθε reprehendendum, et θεῆται, quod Doricum est pro θεᾶται, et φάεα μηκύνονται pro *dies* producuntur, longiores fiunt. Ubi enim *dies* ponitur pro temporis intervallo, quod aut producatur aut corripiatur, absonum est φάος ponere pro ἡμέραν. neque licet vocabula tropica et figurata componere cum illis verbis, quibuscum propria notione per rei naturam componi nequeant. Itaque quia τὸ φῶς non potest esse μακρόν, ineptum est dicere τὸ φάος μηκύνεται pro *longior fit dies*.

Quam Meinekius post vs. 188 lacunam statuit, eam ego nullam esse existimo: omnia enim ordine procedunt iisque quae praecedunt vs. 183 sqq. accurate respondent.

Traiecto, ut solet, articulo Callimachus dixit vs. 192:

ἡ δ' ὁτὲ μὲν λασίῃσιν ὑπὸ δρυσὶ κρύπτετο νύμφη,

ubi non sequar Meinekium ὑπ' ὀφρύσι ex aliis libris recipientem. Minos fugientem nympham quaerens ἐννέα μῆνας ἐφοίτα παίπαλά τε κρημνούς τε, sed παίπαλα nihili vocabulum est, quod ex Homerico παιπαλόεις grammatici elicuerunt, sed quo nemo umquam veterum usus est neque ante Callimachum neque postea. Minos instat fugienti

μέσφ' ὅτε μαρπτομένη καὶ δὴ σχεδὸν ἥλατο πόντον.

Meinekius annotavit aliquid de καὶ δή Atticorum, quod quid huc faciat non video: καὶ δή apud Callimachum nullam aliam vim habet nisi ut numeros expleat. Mallem omissis verbis inutilibus in ἥλατο πόντον, quod non minus perversum est quam *desiluit mare* pro *in mare*, necessariam praepositionem addidisset.

Puellam ubi se ex summo montis iugo in mare praecipitem dedit piscatorum retia (δίκτυα) servarunt:

ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
νύμφην μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσιν.

perperam μετέπειτα cum praesente tempore καλέουσι coniunxit. Mirabile est Δικταῖον appellatum esse παρὰ τὰ δίκτυα, sed in etymologia satius est nihil mirari, quae solet

ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὅμοια.

Quo die Dictynnae sacra fiunt vs. 201 μύρτοιο χεῖρες ἄθικτοι.

δὴ τότε γὰρ πέπλοισιν ἐνέσχετο μύρσινος ὄζος
τῆς κούρης ὅτ' ἔφευγεν.

Meinekio praestare videtur ἐνίσχετο scribere, sed quia semel id factum est *aoristus* optime habet. Caeteri homines in tali re naturam rei secuti dicunt πέπλοι ἐνέσχοντο μυρσίνῳ ὄζῳ, sed Callimacho placet τὴν λεωφόρον μὴ στείχειν, sive (ut ipsius verbis utar):

τὰ μὴ πατέουσιν ἅμαξαι
τὰ στείβειν, ἑτέρων δ' ἴχνια μὴ καθ' ὁμά.

nam sic legendus locus est, quem Ruhnkenius ad Fragm. 293 ex Olympiodoro in Platonis Phaedonem sic descripsit: ὥσπερ τὸ, Τὰ μὴ πατέουσιν ἅμαξαι τὰ στείβειν. καὶ, Ἑτέρων δ' ἴχνια μὴ καθομά.

Obscurus locus est vs. 206:

τῇ ποτ' ἔδωκας
αὐτὴ θηρητῆρε δύω κύνε, τοῖς ἔνι κούρη
Ὑψηὶς παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου.

quia de illis ludis neque quidquam constat neque intelligi potest quomodo puella ἐν τοῖς κυσὶν (τοῖς ἔνι) praemium tulisse potuerit. Abutitur poëta forma ἔμμορε pro ἤρατο vel ἠνέγκατο. Quod statim sequitur: καὶ Κεφάλου ξανθὴν ἄλοχον — σὴν ὁμόθηρον ἐθήκαο, male addidit σήν. Graecum est ποιοῦ-

μαι sive *τίθεμαι φίλον, ξένον, ὁμοτράπεζον*, non *ἐμὸν φίλον, ξένον* cet.

Frustra quaesivi quid lateret in *ἀσύλωτοι* vs. 213:

ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι
δεξιτεροί, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαςός.

periit adiectivum, quo dexter humerus *nudus, nulla veste tectus* fuisse indicabatur, videturque Callimachus aliquod novum nomen finxisse quod excogitare nondum potuimus. Idem fecit in Hymn. *in Cerer.* vs. 125:

ἀπεδίλωτοι καὶ ἀνάμπυκες ἄςυ πατεῦμες.

ubi *ἀπεδίλωτος* perperam formavit pro *ἀπέδιλος*, quod Aeschylus dixit:

σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.

Monstrum vocabuli legitur vs. 215:

ᾔνησας δ' ἔτι πάγχυ ποδορρώην Ἀταλάντην.

nam nihili est *ποδορρώην*, quidquid grammatici comminiscuntur.

Atalantam celebrans postquam de apro Calydonio dixit ita pergit:

οὐδὲ μὲν Ὑλαῖόν τε καὶ ἄφρονα Ῥοῖκον ἔολπα
οὐδέ περ ἐχθαίροντας ἐν ἄϊδι μωμήσασθαι
τοξότιν· οὐ γάρ σφιν λαγόνες συνεπιψεύσονται.

manifestum est futurum *μωμήσεσθαι* reponi oportere, quod vel solum *συνεπιψεύσονται* demonstrat. In *οὐδέ περ ἐχθαίνοντας* tricatur aliquid Meinekius, sed res est aperta et conspicua. Opponuntur inter se *καίπερ* et *οὐδέπερ*, ut *καὶ ὥς* et *οὐδ' ὥς*, similiaque alia, veluti apud Aristoph. Acharn. vs. 221:

μὴ γὰρ ἐγχάνοι ποτὲ
μηδέπερ γέροντας ὄντας ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας.

cuius contrarium est *καίπερ γέροντες ὄντες*. *Ἐχθραίνω* est idem quod *ἐχθρός εἰμι, μισῶ*. *Quamquam Atalantam oderunt* (inquit) *non tamen arbitror fore ut de eius sagittandi peritia aliquid detrahant: arguerent enim mendacium vulnera, quae in Maenalio iugo illius telis acceperunt.*

Ut ad aliud argumentum transeat Callimachus nil nisi aliis atque aliis Deae invocationibus utitur, ut vs. 225, repente aliam rem sic inchoat:

πότνια πουλυμέλαθρε πολύπτολι χαῖρε Χιτώνη,
Μιλήτῳ ἐπίδημε· σὲ γὰρ ποιήσατο Νηλεὺς
Ἡγεμόνην, ὅτε νηυσὶν ἀνήγετο Κεκροπίηθεν.

Inusitato more Dea dicitur Μιλήτῳ ἐπίδημος. *Praesens* deus saepe dicitur ἐπιδημεῖν, id est ἐμφανὴς παρεῖναι, unde θεοῦ ἐπιδημία appellatur. Hinc Callimachus sumsit suum Μιλήτῳ ἐπίδημε. Pro Νηλεὺς proba et genuina forma Νείλεως, non Νειλεύς, reponenda videtur. Recte dici ποιήσατο ἡγεμόνην pro ἡγεμόνα Meinekius probare voluit, sed non probavit, nam quod ἡγεμών ἡγεμόνη composuit cum εὔφρων εὐφρόνη diversa miscuit. Εὐφρόνη non est τοῦ εὔφρων forma foeminina (quae est εὔφρασσα), sed *noctem* significat. Est Ἡγεμόνη Dianae cognomen: Callimachus autem qui ποιήσατο Ἡγεμόνην pro ἡγεμόνα dicere maluit, more suo exquisita venans confundit diversa et ἀκυρολογεῖ.

In insula Samo dicitur Agamemnon vs. 229 in aede Dianae dedicasse πηδάλιον νηὸς σφετέρης. Pessime σφετέρης dixit, id est τῆς ἑαυτῶν pro τῆς ἑαυτοῦ, sed sic solent Alexandrini linguae Homericae infelices imitatores, ut supra vidimus. Dedicavit autem suae navis clavum

μείλιον ἀπλοΐης, ὅτε οἱ κατέδησας ἀήτας,
Τεύκρων ἡνίκα νῆες Ἀχαιΐδες ἄστεα κήδειν
ἔπλεον ἀμφ' Ἑλένῃ Ῥαμνουσίδι θυμωθεῖσαι.

frequens usus est vocabuli μείλια apud Epicos, sequiores demum μείλιον in singulari numero dicere coeperunt, sed μείλιον ἀπλοΐης ipsius Callimachi inventum est, ut diceret Agamemnonem illo donario placasse Dianam ne classem diutius retineret. Ἔπλεον κήδειν novitia est compositio, qua Callimachi aequales utebantur, Veterum nemo umquam usus est. Κήδειν quoque de tota classe Achivorum nimis languidum ac debile verbum est. Ponitur apud Homerum pro λυπεῖν, ἀνιᾶν, δάκνειν, *vexare* aliquem, ut Achilles ad Priamum dicit

ἧμαι ἐνὶ Τροίῃ σέ τε κήδων ἠδὲ σὰ τέκνα.

consulto verbo leniore et modestiore usus. Pro νῆες Ἀχαιΐδες θυμωθεῖσαι, quod subridiculum est, verus poëta θυμωθέντων dixisset, ad Ἀχαιῶν referens quod in Ἀχαιΐδες inest.

Necessarium est vs. 234 Κορίῃ pro Κορίης, quod coniecit Blomfieldus, sed reiecit Meinekius in his:

ἡ μέν τοι Προῖτός γε δύω ἐκαθείσατο νηούς·
ἄλλον μὲν Κορίης — τὸν δὲ — Ἡμέρῃ.

dativus uterque ex τοι suspensus est. Proetus duo templa posuit, alterum Ἀρτέμιδι Κορίῃ, alterum Ἀρτέμιδι Ἡμέρῃ. Κορίην appellatam ὅτι συνελέξατο κούρας Callimacho dignum inventum est.

Invenuste admodum *bellicosae* Amazones a Callimacho novo nomine appellantur vs. 237 πολέμου ἐπιθυμήτειραι. Suo iure ex ἐπιθυμητής hanc formam procudit, sed analogiae usum elegantia ingenii et auris regere debet.

Quum Amazones tripudiarent vs. 244 ὑπήεισαν λίγειαι λεπταλέον σύριγγες ἵνα πλίσσωσιν ὁμαρτῇ, sed malum factum, quod Veteres πλίσσομαι, non πλίσσω, dixerunt. Callimachus hic, ut saepe alias, indiligens fuit.

Nondum erant tibiae, inquit, vs. 244.

οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀϛέα τετρήναντο.

fuerunt quos aoristus τετρήναντο offenderet. Respondet Meinekius τετρήναντο „*plusquamperfecti significationem habere.*" Callimachus hanc sibi licentiam sumsit, quod in vocabulo prisco et obsoleto melius latebat, sed tamen vitiosum est.

Dianae Ephesi circa signum, quod illi olim Amazones posuerunt vs. 248

εὐρὺ θέμεθλον
δωμήθη· τοῦ δ' οὔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς,
οὐδ' ἀφνειότερον.

recte Meinekius pro θέμεθλον suasit ut μέλαθρον reponeretur. Δωμήθη et δωμᾶν, δωμᾶσθαι novitium est Alexandrinorum commentum. Veteres ex νέμω, τρέπω, ϛρέφω formas νωμᾶν, τρωπᾶν et ϛρωφᾶν produxerunt, sed non item δωμᾶν ex δέμω. Θεώτερον Callimacho placuit dicere pro θειότερον: ὄψεται cur dixerit pro ἐφορᾷ et ἠώς pro ἥλιος frustra quaeres, sed quin male utrumque dixerit non dubitabis. Periit ingens Cimmeriorum exercitus, periit rex Lygdamis, qui templum Dianae Ephesiae diripere parabant vs. 258:

Ἐφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται.

quid dicat poëta perspicuum est, sed quam negligenter et vitiose dixerit, hoc quoque est perspicuum. Quid hoc est τεὰ τόξα πρόκειται Ἐφέσου, pro Ephesum *tuetur*, ῥύεται τὴν

πόλιν? Non male dixeris de bellatore *σὴ ἀσπὶς προβέβληται*, idque ipsum de moenibus ac munimentis optime ponitur, sed *προτίθεσθαι* et *προκεῖσθαι*, quae ne de moenibus quidem sat commode usurpantur, de arcu et sagittis dici, id vero quis aequo animo ferat?

Quam putide et affectate enunciatum est quod legitur vs. 260 sq.

οὐδὲ γὰρ Οἰνεῖ
βωμὸν ἀτιμήσαντι καλοὶ πόλιν ἦλθον ἀγῶνες.

quid significet *ἀγῶνες οὐ καλοὶ ἦλθον τὴν πόλιν* intelligimus, et nota res est quam dicit ex Homero, sed quo iure ei licuit ita dicere pro *συμφοραὶ μεγάλαι τῇ πόλει συνέπεσον*, aut *μεγάλοις κινδύνοις καὶ συμφοραῖς περιέπεσεν ἡ πόλις*? Non est recte cogitatum *ἀγὼν ἔρχεται* vel *ἐπέρχεταί τινα*, quia homines ipsi solent *χωρεῖν εἰς τοὺς ἀγῶνας*. Praeterea *ὁ ἀγὼν* potest *μέγας* aut *δεινός* dici, sed *καλός* vel *οὐ καλός* ita demum ut certamen *decus* et gloriam, aut contra *dedecus* aut ignominiam alicui afferre intelligatur.

Ut reliqua paucis absolvam peccavit vs. 262:

μηδ' ἐλαφηβολίην μηδ' εὐστοχίην ἐριδαίνειν,

quia in tali re non *accusativum* sed *dativum* loquendi usus postulat. Peccavit vs. 267 in *ἀπείπατο κυκλώσασθαι*, quia pro *ἀπείπατο* illo sensu *ἠρνήσατο* requiritur, neque etiam *περὶ βωμὸν κυκλώσασθαι* pro *περιχορεύειν* vel *ὀρχήσασθαι* bene habet. Peccavit denique in versu ultimo:

χαῖρε μέγα κρείουσα καὶ ε ὐ ά ν τ η σ ο ν ἀοιδῇ.

quia e notissimo adiectivo *εὐάντητος* de suo verbum *εὐάντησον* commentus est, quod iure nemini placuit, quamobrem illo vocabulo *μόνος καὶ πρῶτος* usus Callimachus habeat illud secum cum multis eiusdemmodi figmentis servetque sepulchro.

Scribebam haec *ἀκτάζων*, cum paucis libris in amoenissimo maris litore ferias transigens. Reliqua *σὺν θεῷ* alio tempore per otium copiosius persequar.

C. G. Cobet.